

DE NATURA FIDEI THEOLOGICAE SECUNDUM SALMANTICENSIS

SUMMARIUM. — A) Exponitur, primo natura fidei secundum se consideratae: I) Cum obiectum fidei theologicae, 1) tum terminativum omnino primum (Deus sub ratione Deitatis), 2) tum motivum (testimonium Dei ut auctoris gratiae atque gloriae) sit entitas quoad substantiam supernaturalis; II) concluditur, actum fidei theologicae quoad ipsam suam physicam entitatem esse quoad substantiam supernaturalem, ideoque ab intellectu nostro elici non posse sine eiusdem corroboratione et elevatione per virtutem entitative supernaturalem. — B) Exponitur, deinde, natura fidei theologicae consideratae in relatione ad modum actum proprium eliciendi: I) Examinatur, videlicet, utrum fides theologica, exigente hoc ipsa eius natura, priusquam attingat aliquam veritatem ad creaturam pertinentem, debeat prius, semper et necessario, in ordine exercitii, terminari in ipsum Deum; II) quamvis aliqui theologi huic quaestioni affirmative respondeant, idque multis argumentis demonstrent, III) sententia contraria, secundum doctrinam Salmanticensium, statuitur suisque rationibus firmatur; IV) contra quam sententiam nulla valet ratio adversariorum.

Controversia circa naturam fidei theologicae iam inde a tempore Johannis Duns Scoti inter theologos viguit, neque hodie animos theologorum praeoccupare desinit.¹ Quamvis tentamen rem componendi, viam conciliationis monstrando,² ab aliquibus « un compromis eclectique »³ aestimetur, nihilominus iterum atque iterum attentionem theologorum erga doctrinam Salmanticensium provocare volumus, cum in ipsa uti persuasum nobis manet, semita illa conciliationis, non sine claritate, adumbrari perspiciatur. Ne autem consilium proprium aliis imponere velle videamur, intentum nostrum ad simplicem expositio-

¹ Cfr. P. ANSELMUS STOIZ O.S.B., *Manuale theologiae dogmaticae*, Freiburg Brisg. Herder 1941; fasc. I, p. 39-41; fasc. IV, p. 26 sq. — P. TERESIUS A S. AGNETE ZIELINSKI O.C.D., *De ultima resolutione actus fidei*, Romae 1942, pp. 181. — GARRIGOU-LAGRANGE R., *La foi infuse est-elle surnaturelle par son objet formel?*, « ANGELICUM » 19 (1942), p. 312-319. — IDEM, *A propos du livre du P. Teresio, De ultima resolutione actus fidei*, ibid. p. 319-323. — IDEM, *De supernaturali et infallibili certitudine fidei infusae*, « Acta Pontificiae Academiae Romanae S. Thomae Aquinatis et Religionis Catholicae », XI (1945), p. 177-199. — ROGER AUBERT, *Le problème de l'acte de foi*, Louvain 1945, pp. x-804.

² Cfr. P. TERESIUS A S. AGNETE, l. c. p. 179-180.

³ Cfr. GARRIGOU-LAGRANGE, *A propos du livre du P. Teresio...* l. c. p. 322.

nem doctrinae Salmanticensium restringimus, exponentes prius illorum doctrinam circa naturam fidei secundum se consideratae, deinde vero secundum modum actum proprium eliciendi.

A) DE NATURA FIDEI THEOLOGICAE SECUNDUM SE CONSIDERATAE

Perpetuus Ecclesiae catholicae consensus semper tenuit et expressit, fidem, quae est salutis initium, fundamentum et radix omnis iustificationis,⁴ « virtutem esse supernaturalem, qua, Dei aspirante et adiuvante gratia, ab eo revelata vera esse credimus, non propter intrinsicam rerum veritatem naturalis rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest ».⁵

Cum autem omnis virtus ab obiecto specificetur medio proprio actu, ad dignoscendam naturam alicuius virtutis, nihil est solemnius omnibus scholasticis quam de obiecto ipsius inquirere. Et recte quidem. Invenio enim obiecto virtutis, ad naturam quidem actus proprii talis virtutis immediate, ad naturam vero ipsiusmet virtutis mediate, facile concludere quisque potest.

Quodnam igitur sit obiectum fidei proprium, en quaestio praevia ad naturam virtutis fidei theologicae dignoscendam.

I. — De obiecto fidei proprio.

Obiectum quod nostra hic interest, est tum *terminativum*, in quod sc. habitudo fidei terminatur, seu id quod proprie creditur per modum obiecti « *quod* »; tum *motivum*, propter quod nempe illud prius attingitur, seu lumen obiectivum movens et inducens intellectum ad assensum.

I. — De obiecto terminativo.

Agentes porro de obiecto fidei *terminativo*, non est obliviscendum quod, etsi obiectum hoc possit esse in se entitas simplicissima, plures tamen formalitates virtualiter distinctas in ipso discernere non semel poterimus, sicut v. gr. in ente distinguimus rationem veri, boni, pulchri etc., et in Deo rationem primi entis, Deitatis, attributorum etc. Quando igitur aliquod obiectum capax est ut in ipso varias formalitates distinguamus, potest fieri quod non secundum omnes formalitates, sed secundum aliquam tantum ex ipsis, terminet per se primo

⁴ Cfr. CONCILIUM TRIDENTINUM, Sess. VI, c. 8.

⁵ Cfr. CONCILIUM VATICANUM, Sess. III, c. 3.

habitudinem potentiae vel habitus ; uti v. gr. ens, habitudinem quidem voluntatis terminat sub ratione solius boni, habitudinem vero intellectus non nisi sub ratione veri. Hac de causa Salmanticenses, vestigia aliorum scholasticorum sequentes, in obiecto *terminativo* cuiuscumque potentiae intellectivae, duo distinguere solent : obiectum nempe « *quod* », seu subiectum attributionis, et rationem formalem « *quae* ».

Dum igitur quaerimus de obiecto « *quod* » fidei, consideramus illud secundum propriam rationem formalem « *quae* ».

In assignando vero hoc obiecto pro fide, diligentissime distinguendus est, ad mentem Salmanticensium, duplex ordo, secundum quem fides, sicut quaecumque alia virtus, considerari potest ; ordo sc. *exercitii* et ordo *intentionis*. Hac enim distinctione praetermissa, facile confusiones quaedam oriri possent.

Certum quidem est obiectum fidei « *quod* », in ordine *exercitii*, ea omnia, eaque sola esse, quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur, sive ipsa sint circa Deum sive circa creaturas.

Attamen, circa questionem de obiecto fidei, dum more scholastico ponitur, in ordine nempe ad naturam habitus fidei cognoscendam non oportet examinare ad quodnam habitudo virtutis fidei *ordine exercitii* terminetur, sed potius ad quodnam referetur ordine *intentionis*, seu quodnam sit illud ad quod fides theologica, ex innata sua inclinatione, ideoque per se, primo et ratione sui, ordinatur. Hoc enim est tantum quod habitum in propria specie seu natura et entitate constituit.

Cum enim *ordo executionis* iam praesupponat potentiam et virtutem in sua specie seu natura constitutam,⁶ et cum non infrequenter sit *primum* in *executione*, quod est *secundarium* in *intentione*, natura cuiuscumque virtutis, ideoque obiectum specificans, non potest venari ex ordine quem habere potest in *exercitio* suorum actuum, sed ex habitudine, qua per modum actus primi, ideoque ordine *intentionis*, in sua obiecta fertur.⁷

Hac ratione Salmanticenses duplex obiectum *terminativum* seu « *quod* » in quocumque habitu intellectivo distinguunt,⁸ *primarium* nempe et *secundarium*, seu *formale* et *materiale*.⁹

⁶ Cfr. SALMANTICENSES tr. XVII, *De fide*, I, 21 (t. XI, p. 13).

N. B. Salmanticenses — nisi aliud expresse notetur — hoc modo deinceps citabuntur, ut prius ponatur numerus et titulus tractatus (tr.) deinde, numero romano, disputatio, tandem, numero arabico, numerus marginalis ; intra parentheses vero ponitur prius numerus tomi (t.) deinde numerus paginae (p.) secundum editionem : COLLEGII SALMANTICENSIS, *Cursus theologicus*, Parisiis apud V. Palmé 1879.

⁷ Cfr. SALM. *ibid.* I, 17 (t. XI, p. 11).

⁸ tr. VIII, *De ultimo fine*, I, 27 (t. V, p. 18-21) et tr. XVII, *De Fide*, I, 1 (t. XI, p. 5-6).

⁹ Quod attinet hanc duplicem denominationem, notandum est quod obiectum *primarium* proprie et simpliciter vocari potest obiectum *formale* ; obiectum vero *secundarium* non potest proprie et simpliciter vocari obiectum *materiale*, cum denominatio : « *obiectum materiale* » latius pateat quam denominatio : « *obiectum secundarium* ».

Obiectum siquidem *secundarium* vere in se attingitur, obiectum vero *mate-*

Obiectum *primarium* illud est, quod in se (seu per se), primo et ratione sui a potentia vel habitu respicitur, tamquam proprium specificativum.

Obiectum *secundarium* illud est quod in se quidem (seu per se) a potentia vel habitu respicitur, non tamen primo sed secundo, neque ratione sui sed ratione obiecti *primarii* et extra lineam specificationis potentiae vel habitus invenitur.

Hic igitur non est nobis agendum neque de obiecto fidei « *quod* » in genere, neque de obiecto sic dicto *secundario* in specie, sed unice et exclusive de obiecto « *quod* » *primario*.

Hoc porro fidei obiectum non subobscurè iam a primis verbis definitionis fidei ab Apostolo traditae innuitur: « *fides autem est sperandarum substantia rerum* »¹⁰; hunc enim conceptum theologi evolventes, variis encomiis fidem celebrare solent, tum per ordinem ad scientiam divinam, tum per ordinem ad visionem beatificam. Haec autem encomia totidem declarationes obiecti fidei *primarii* constituunt.

Fides itaque, in relatione imprimis ad ipsam scientiam divinam, solet laudari tamquam « *participatio et assimilatio ad cognitionem divinam* », ¹¹ vel simpliciter ut « *impressio quaedam scientiae divinae communicatae nobis per modum disciplinae* ». ¹²

In ordine deinde ad scientiam beatorum, fides, « *vicaria visionis beatificae* » praedicatur, quatenus nempe eius loco « *substituatur* » et « *subrogatur* », eiusve « *vices supplet* » ¹³; immo collaudatur etiam tamquam « *praelibatio illius cognitionis quae nos in futuro beatos facit* » ¹⁴; vel tandem altiori-adhuc laude, ut « *inchoatio vitae aeternae in nobis* » extollitur. ¹⁵

Porro, plenus sensus horum omnium nequaquam salvabitur, nisi pro obiecto fidei omnino *primario*, ad quod sc. fides ex innata sua inclinatione per modum actus primi fertur, ipse Deus sub ratione Deitatis assignetur, ideoque id ipsum, quod obiectum *primarium* scientiae divinae et scientiae beatorum esse dignoscitur.

Et de facto, iam S. Augustinus innuens quidnam proprie fide creditur, asserere non dubitat: « *nos nunc diligimus credendo quod vide-*

riale simpliciter nullo modo in se sed per accidens tantum, quatenus sc. alteri coniungitur. Divisio obiecti in *formale* et *materiale* non convenit nisi potentiis organo corporali affixis, sic v. gr. relate ad visum: obiectum *formale* est color lucidus, qui in se attingitur, obiectum *materiale* est corpus cui color adhaeret, quodque in se nullo modo attingitur. Divisio vero obiecti in *primarium* et *secundarium* non convenit nisi potentiis *spiritualibus*, sic v. gr. pro intellectu et voluntate divinis: obiectum *primarium* est ipse Deus, obiectum autem *secundarium* sunt creaturae, tum vero Deus, tum creatura vere in se ab intellectu et voluntate divinis attinguntur.

¹⁰ Ad Hebr., XI, 1.

¹¹ S. THOMAS, In librum Boetii de Trinitate, q. II, a. 2; SALM. tr. XVII, De fide, I, 6 et II, 112 (t. XI, p. 7 et 157).

¹² SALM. tr. XVII, De fide, I, 27 (t. XI, p. 15).

¹³ SALM. *ibid.* I, 6, 45 et III, 43 (t. XI, p. 7, 22 et 211).

¹⁴ S. THOMAS, Compendium theologiae, c. 2.

¹⁵ S. THOMAS, De veritate, q. XIV, a. 2, c., et Summa theol. II-II, IV, 1, c.

*bimus ; tunc autem diligemus videndo, quod credimus »*¹⁶ ; fidei siquidem — dicit alibi — « *primum et maximum officium est, ut in verum credatur Deum »*.¹⁷

Post ipsum clarioribus adhuc verbis idem expressit Angelicus : « Veritas — ait — divinae cognitionis hoc modo se habet, quod primo et principaliter est ipsius rei increatae ; creaturarum vero consequenter... Et ita fides, quae hominem divinae cognitioni coniungit per assensum, ipsum Deum habet sicut principale obiectum ; alia vero quaecumque sicut consequenter adiuncta »,¹⁸ quia haec praecise « sub assensu fidei non cadunt, nisi secundum quod habent ordinem ad Deum, prout sc. per aliquos Divinitatis effectus homo adiuvatur ad tendendum in divinam fruitionem ». ¹⁹ Hoc idem alibi magis clarius explicat : « principale autem obiectum fidei — ait — est veritas prima, cuius visio beatos facit, et fidei succedit », ²⁰ cum « idem re sit utriusque actus obiectum », ²¹ hac cum sola differentia, quod « veritas prima est obiectum visionis patriae ut in sua specie apparens, fidei autem ut non apparens ». ²²

His auctoritatibus praecipue innixi Salmanticenses per longum et latum eandem thesim explicant, firmant atque defendunt. ²³

Cum tamen quaestio haec sit satis ex se perspicua missam facimus hanc illorum expositionem ; animadvertere tantum volumus quod ex eo quia Deus sub ratione Deitatis sit obiectum *primarium* fidei theologicae perperam quis concluderet actus fidei qui non attingunt Deum per modum obiecti « *quod* », non esse theologicos. ²⁴ In fide enim, sicut in quacumque alia virtute vel potentia organo corporali non affixa, consequenter ad distinctionem duplicis obiecti, *primarii* nempe et *secundarii*, et duplicem actum distinguere oportet, alium nempe *primarium* alium vero *secundarium* ²⁵ ; actus porro *secundarii*, eo ipso quod sunt tales, necessario versari debent circa id quod est *secundarium* respectu virtutis. In nostro igitur casu, actus *secundarii* fidei, exigente hoc ipsa eorum natura, unice ad creaturam terminari debent. ²⁶

¹⁶ *In Johannis evang.*, tr. 75, n. 5 (PL., 35, 1830).

¹⁷ *De Civ. Dei*, I, IV, c. 20 (PL., 41, 127).

¹⁸ *De veritate*, q. XIV, a. 8, c.

¹⁹ *Summa theol.* II-II, I, 1, c.

²⁰ *ibid.* V, 1, c.

²¹ *De veritate*, q. XIV, a. 8, ad 3.

²² *ibid.*

²³ Cfr. tr. XVII, *De fide*, l, 5-48 (t. XI, p. 6-23).

²⁴ Ut sentit STRAUB ANTONIUS, *De analysi fidei*, Oeniponte, 1922, p. 250-251.

²⁵ Cfr. S. THOMAE, *Summa theol.* II-II, XXVIII, 4, c. ; SALM. tr. VIII, *De ultimo fine*, I, 85-87, 97 (t. V, p. 44-45, 49) ; tr. XVII, *De fide*, I, 39 (t. XI, p. 20) ; tr. XVIII, *De spe*, I, 89 (t. XI, p. 495) ; tr. XIX, *De caritate*, II, 67 (tr. XII, p. 80).

²⁶ Cfr. SALM. tr. VIII, *De ultimo fine*, I, 86 (t. V, p. 45) ; tr. XII, *De virtutibus*, III, 9 (t. VI, p. 336) ; tr. XVII, *De fide*, I, 39 (t. XI, p. 20).

2. — De obiecto motivo.

Cum obiectum fidei *primarium* sit illudmet ipsum, quod est obiectum visionis beatificae et scientiae divinae, patet iam quod, homo sibi relictus, ideoque absque luce divinae revelationis, nullo pacto veritates circa obiectum fidei proprium investigare potest; illas inquam veritates ad quas fides per se primo, seu ex innata sua inclinatione, fertur.

Siquidem, intellectus humanus non potest suis viribus et per viam inventionis cognoscere nisi ea, quae aliquomodo in primis principiis naturalibus continentur. Haec enim principia sunt veluti seminarium totius cognitionis naturalis, ex quibus intellectus noster ad omnia procedit, quae proprio labore conquirit. Iamvero in praedictis principiis nullo modo mysteria fidei, i. e. Deus secundum rationem Deitatis, continentur.

Hinc necessitas divinae revelationis, seu actus divini communicantis nobis veritates de seipso. Unde Concilium Vaticanum solemniter statuit: «revelatio absolute necessaria dicenda est... quia Deus ex infinita bonitate sua ordinavit hominem ad finem supernaturalem, ad participanda scilicet bona divina, quae humanae mentis intelligentiam omnino superant». ²⁷

Age nunc, haec revelatio divina, non est pro actu fidei tantum conditio ad hoc requisita ut veritates fidei nobis proponantur; sed insuper est ipsum *motivum* actus fidei *formale* et *obiectivum*, ²⁸ illud nempe quod inducit formaliter intellectum ad assentiendum revelatis. Credimus enim revelata «non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest», ²⁹ seu propter testimonium divinum. Secus fides verum indefectibiliter nequaquam attingere posset.

Etenim, nisi habitus intellectivus in proprium obiectum sub aliquo *motivo obiectivo*, cui falsitas subesse nequeat, feratur, verum indefectibiliter attingere non potest. Eo enim habitus intellectivus verum indefectibiliter attingere dicitur, quod per *medium*, cui falsitas subesse nequit, procedit. Ergo habitus fidei, cum intellectivus sit, nisi per *medium* seu *motivum*, cui falsitas subesse nequit, procedat, verum indefectibiliter nequaquam attinget. Iamvero, duplex est *medium* seu *motivum* cui falsitas subesse nequit, *testimonium* videlicet *Primae veritatis*, utpote infallibile, et *medium necessarium* cognitum evidenter. Certum autem est, quod habitus fidei non potest tendere in suum obiectum per hoc alterum *motivum*: cum veritatem credibilium neque in se neque in suis causis evidenter attingat. Ergo vel *testimonium*

²⁷ Sess. III, *Const. dogm. de fide cath.* c. 2.

²⁸ Cfr. SALM. tr. XVII, *De fide*, I, 49-102 (t. XI, p. 23-48).

²⁹ CONC. VATIC. Sess. III, *Const. dogm. de fide cath.* c. 2.

Primae veritatis pro *motivo formali* et *obiectivo* habere debet, vel ipsum a vero deflectere falsisque assentire minime repugnabit.³⁰

Sed quaenam sit natura *testimonii divini*, ut est *motivum fidei*? Duas praecipue quaestiones hic perstringere debemus: quomodo nempe *testimonium divinum* constituatur, et ad quemnam ordinem, *naturalem* nempe an *supernaturalem*, pertineat.

Prior quaestio facile ex doctrina Salmanticensium solvi potest.³¹ Iuxta Salmanticenses nempe ad constituendum *testimonium divinum* ut est *motivum fidei*, tria concurrunt: attributum veracitatis, actualis revelatio, et eiusdem obscuritas. Sed dum haec ultima, obscuritas nempe, pertinet ad *motivum fidei* per modum *conditionis* indispensabiliter requisitae, altera, videlicet actualis revelatio, *motivum fidei* per modum *formae constitutivae* illius ingreditur, adeo ut *motivum fidei* adaequate sumptum, sicut ex rationibus partialibus, ex attributo veracitatis et ex actuali Dei revelatione (obscura) coalescit.

Ut haec recte intelligantur notandum est *motivum fidei* minime redolere aliqua dualitate, ut primo obtutu videretur, sed esse omnino simplex, nedum *in esse motivi*, sed etiam *in esse rei*. Attributum enim veracitatis et actualis Dei revelatio nihil aliud significant quam attributum veracitatis *in actu secundo*, i. e. auctoritatem actu revelantem.

Alteram quod attinet quaestionem, ad quemnam sc. ordinem, *naturalem* vel *supernaturalem*, hoc *motivum* pertineat, maioris attentionis opus est.

Notandum est imprimis quod Deus in se et in ordine ad se consideratus, est entitas simplicissima; ideoque sub hac consideratione nulla diversitas rationum ipsi attribui potest. Nihilominus Deus non tantum debet considerari in se et in ordine ad se, sed etiam spectari debet in ordine ad nos homines; et ex hac praecise consideratione, ex ipsa intrinseca rei necessitate, enascitur, quod in Deo duplicem rationem diversam distinguamus, rationem nempe *auctoris et finis ordinis naturalis*, et rationem *auctoris et finis ordinis supernaturalis*, seu *gratiae et gloriae*.

Deus, ut *auctor et finis ordinis naturalis*, consideratur proprie ut dirigens atque gubernans hominem ad finem naturalem, et communicans cum ipso in bonis naturalibus et secundum modum proprium ipsarum.

Deus autem, ut *auctor et finis ordinis supernaturalis*, consideratur potius ut dirigens atque gubernans hominem ad finem supernaturalem, et communicans cum ipso in bonis, quae sunt propria solius Dei, in bonis scilicet supernaturalibus et modo proprio ipsius Dei.

Porro, cum Deus per suam revelationem dirigat homines ad ipsorum finem sive naturalem sive supernaturalem, communicetque cum ipsis in bonis revelatis, quae pariter sunt sive naturalia sive supernaturalia,

³⁰ Cfr. SALM. tr. XVII, *De fide*, I, 52, 57-61 (t. XI, p. 24, 26-29).

³¹ Cfr. *ibid.* I, 81-152 (t. XI, p. 37-71).

sequitur exinde quod duplex testimonium Dei distinguere oporteat : aliud nempe quatenus est a Deo ut ab *auctore et fine ordinis naturalis*, aliud vero ut est a Deo ut ab *auctore et fine ordinis supernaturalis*.³² Haec est causa cur Salmanticenses duplicem fidem *divinam* distinguant, aliam entitative naturalem, aliam vero entitative supernaturalem, quamvis utraque, dicunt, pro *motivo formali et obiectivo*, testimonium divinum habeat.³³

Haec duplex diversa ratio testimonii divini non convenit, uti patet, uni eidemque actui revelativo, ut aliqui censere videntur,³⁴ sed supponit actuum multiplicationem ; cum enim testimonium divinum sit actus Dei liber, qui necessario connotat aliquid ad extra, potest hac ratione multiplicari, sicut alii actus Dei liberi multiplicantur.³⁵

Differentia utriusque testimonii, uti patet, non consistit formaliter in sola differentia luminis, per quod ipsum attingitur (per lumen scilicet naturale, vel supernaturale), quidquid in contrarium dicant alii,³⁶ sed tota quanta pensanda est ex differentia finis ad quem Deus creaturam rationalem per propriam revelationem dirigit, atque ideo ex differentia bonorum in quibus per revelationem Deus cum homine communicat.³⁷

Quodnam igitur testimonium Dei sit *motivum fidei* theologiae ? Ut huic quaestioni respondeamus, sufficit ut obiectum fidei *primarium* recogitemus.

Obiectum fidei *primarium* non est aliquod bonum naturale, sed est Deus secundum vitam suam intimam, excedens exigentiam totius naturae creatae et creabilis ; ergo revelatio hoc bonum nobis proponens, non potest esse revelatio Dei ut *auctoris et finis ordinis naturalis*, sed potius ut *auctoris et finis ordinis supernaturalis*, ideoque ut aliquid supernaturale quoad ipsissimam suam entitatem.

Attendamus quam diligentissime quaenam sit proprie via, qua ad necessitatem assignandi pro *motivo* fidei revelationem ut est quid *entitative supernaturale* perveniamus.

Haec necessitas, revera, neque inducitur in synthesim de fide ob aliquas particulares conceptiones circa modum quo fides in proprium actum exeat, propriumque obiectum attingat, neque ob aliquas alias difficultates evitandas, sed imponitur, cum toto rigore logicae, ab ipsa solutione primordialis omnino quaestionis circa fidem theologicam, a solutione nempe quaestionis circa obiectum ad quod fides ex innata sua inclinatione ideoque ex ipsissima sua natura fertur.

Et sane quidem, si enim fides theologica ex se et ex innata sua inclinatione non tenderet, tamquam ad obiectum suum omnino primarium, ad aliquid *entitative supernaturale*, nulla exurgeret necessitas assignandi

³² Cfr. SALM. tr. XIV, *De gratia*, III, 40-43 (t. IX, p. 354-356).

³³ Cfr. SALM. tr. XVII, *De fide*, I, 201 et VIII, 25 (t. XI, p. 93 et 398).

³⁴ GARRIGOU-LAGRANGE, *De revelatione*, Romae 1929, t. I, p. 495-496.

³⁵ Cfr. SALM. tr. XIV, *De gratia*, III, 43 (t. IX, p. 356) ; tr. XXIV, *De poenitentia*, IV, 132 (t. XIX, p. 322).

³⁶ V. gr. SUAREZ, *De gratia*, l. II, c. 11, n. 9.

³⁷ Cfr. SALM. tr. XIV, *De gratia*, III, 51 et supra 40-43 (t. IX, p. 364 et supra p. 354-356).

pro motivo ipsius revelationem *entitative supernaturalem*, nam sufficeret tunc revelatio quae *sola origine supernaturalis* diceretur. At, quia fides per se infusa, ex ipsissima sua inclinatione, ad id praecise quod est *entitative supernaturale* tendit, ideo revelatio ad fidem requisita *entitative supernaturalis* esse debet.

Hinc revera valde mirum est, aliquos theologos hanc distinctionem duplicis testimonii Dei admittere nolle, unam tantum Dei revelationem confitentes, unumque obiectum, sive procedat a Deo ut ab *auctore et fine ordinis naturalis*, sive a Deo ut ab *auctore et fine ordinis supernaturalis*,³⁸ Vellemus proponere menti ipsorum hanc simplicissimam considerationem: si Deus non elevasset hominem ad ordinem supernaturalem, et in illo statu faceret ipsi aliquam revelationem, numquid talis revelatio eadem omnino esset ac haec quae facta est in statu elevationis, considerata formaliter ut est huius status?

Ut supra diximus, distinctio duplicis testimonii formaliter debetur distinctioni duplicis finis ad quem Deus dirigere potest hominem per suam revelationem, et consequenter diversitati bonorum in quibus per suam revelationem cum eodem communicat. Iamvero omnino evidens est quod in illo statu hypothetico, non elevationis, revelatio quae supponitur tunc futura, certe non dirigeret hominem nisi ad finem naturalem, et consequenter neque per illam communicaret Deus cum homine in aliis quam in bonis naturalibus; involveret siquidem contradictionem inducere in illum statum directionem ad finem supernaturalem. Revelatio igitur illius status, quamvis ratione originis posset et deberet dici supernaturalis, *entitative* tamen esset quid naturale, utpote ad Deum ut *auctorem et finem naturalem* pertinens.

Econtra, in statu elevationis, cum Deus aliquid revelat, per hanc eandem revelationem hominem non tantum ad finem naturalem, sed etiam ad finem supernaturalem dirigere potest, communicando cum ipso in bonis non tantum naturalibus, sed et supernaturalibus; revelatio vero dirigens hominem ad finem supernaturalem non tantum ratione originis, sed etiam ratione propriae entitatis, debet esse quid supernaturale, quia non potest procedere a Deo nisi ut ab *auctore et fine ordinis supernaturalis*.

Hac etiam de causa distinctio duplicis testimonii divini nullo modo dici potest aliquid pure «*artificiale*» ut aliqui insinuant³⁹; eo vel magis, quod illa duplex ratio communiter admittitur a theologis, cum de duplici religione, naturali nempe et supernaturali agatur. Utraque quidem religio exhibet Deo cultum debitum; at dum religio naturalis exhibet Deo cultum ut principio danti esse naturale, ideoque ut *auctori et fini ordinis naturalis*; religio supernaturalis elevatur in Deum ut *auctorem et finem ordinis supernaturalis*.

Immo eadem distinctio ab ipso Magisterio Ecclesiae in quaestione de caritate firmiter tuetur in damnatione sequentis propositionis Baii: «*Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur*

³⁸ Cfr. v. gr. LENNERZ H., *De virtutibus theol.*, Romae 1933, p. 179.

³⁹ Cfr. «*ÉTUDES CARMÉLITAINES*», 22 année 1937 vol. I, p. 179.

ut auctor naturae, et gratuiti, quo Deus amatur ut beatificator, vana est et commentitia et ad illudendum sacris Litteris et plurimis veterum testimoniis excogitata ». ⁴⁰

Ut igitur ex expositis patet, obiectum fidei non tantum *terminativum*, sed etiam *motivum*, est quid supernaturale quoad ipsissimam suam entitatem. Cum autem ipsum *motivum* sit illud quod obiectum *terminativum in esse obiecti* constituat, patet exinde quod obiectum *terminativum* non tantum est supernaturale entitative *in esse rei*, sed etiam *in esse obiecti*.

II. — De ipsa natura fidei theologicae.

Supposita supernaturalitate entitative obiecti fidei *in esse obiecti*, per solam applicationem principii metaphysici: «actus et virtus ab obiecto specificantur» tamquam ab eorum propria causa formali, facile iam erui potest qualis sit tum natura actus tale obiectum attingentis, tum natura virtutis ad hunc actum eliciendum praerequisitae. Cum enim entitas et natura cuiuscumque rei cum eius specie convertatur, ⁴¹ actum et virtutem specificari ab obiecto, in genere causae formalis, idem omnino est, ac actum et virtutem constitui in propria entitate et natura ab obiecto.

Utique, omnia entia in propria specie per differentias intrinsecas constituuntur. Nihilominus magnum discrimen interest inter entia absoluta et relativa.

Differentiae constitutivae *absolutorum* omnino sunt absolutae, nec terminum aliquem extrinsecum respiciunt.

Differentiae vero constitutivae *respectivorum*, nihil aliud sunt nisi habitudines ipsae, seu inclinationes, ad aliquid extrinsecum. Ista habitudines seu inclinationes sunt aliquid intrinsecum *respectivis* et ipsae sunt praecise quae constituunt entitatem et speciem ipsorum; at earum regula et mensura est semper aliquid extrinsecum, cum ad hoc transcendentalem ordinem dicant; et hac praecise de causa *respectiva* specificari dicuntur ab aliquo extrinseco.

Cum igitur actus et virtus sint de genere *respectivorum* (sunt enim tendentiae et motus ad aliquid) ab illo specificantur, ad quod ordinem transcendentalem dicunt; hoc vero est obiectum; ergo actus et virtus ab obiecto specificantur.

Posito ergo quod obiectum sit regula ac mensura habitudinis seu inclinationis repertae in actu et virtute et quod haec sit ipsum constitutum speciei seu naturae et entitatis ipsorum, sequitur exinde quod in specificatione actus et virtutis ab obiecto non respicitur primo et per se diversitas modi operandi ipsorum, ut aliqui volunt, ⁴² sed diversitas speciei et naturae eorundem, ad quam tunc ipsa diversitas modi operandi subsequitur.

⁴⁰ BULLA PII V: «*Ex omnibus afflictionibus*» I, X, 1567.

⁴¹ Cfr. SALM. tr. XIV, *De gratia*, III, 24 (t. IX, p. 345).

⁴² V. gr. LENNERZ H., *De virtutibus theol.*, Romae 1933, p. 174-175.

Ubi ergo diversum obiectum, ibi semper diversa entitas seu natura actus et virtutis; et e converso, ubi nulla diversitas obiecti, ibi nulla diversitas specifica, naturae scilicet et entitatis in ipsis, licet possit adesse diversitas accidentalis, puta ratione subiecti.

Sic v. gr. cum obiectum fidei acquisitae et obiectum fidei per se infusae diversum sit specificiter, diversa quoque entitas seu species utriusque fidei admittenda est. Econtra, visio hominis et visio animalis, etsi aliunde differant, quia tamen idem habent obiectum, eiusdem sunt speciei seu naturae.⁴³

Uterius, quia obiectum entitative naturale ab obiecto entitative supernaturali specie distinguatur, sequitur exinde quod, ratione specificationis actus ab obiecto, ipse actus quoad suam substantiam non possit manere indifferens ad alterutrum ordinem⁴⁴; sed respiciendo alterutrum obiectum eo ipso transit, substantia et specie, vel ad ordinem naturalem vel ad ordinem supernaturalem, ad quod tunc necessitas virtutis proportionatae ad ipsum eliciendum, subsequitur.

Suppositis itaque tum supernaturalitate obiecti fidei, tum etiam principio: «actus et habitus ab obiecto specificantur», actus fidei tamquam quid supernaturale quoad ipsissimam suam entitatem apparet. Consequenter intellectus noster, nude sumptus, neque quid minimum de «*posse activo*» in ordine ad eliciendum actum fidei, etiam secundum nudam eius substantiam consideratum, possidet.

Unicum quod in intellectu nostro praesupponitur in ordine ad actum fidei est eiusdem *commensuratio essentialis* ad eundem actum, seu «*posse radicale*», quod proprie *potentia obedientialis* dicitur.

Hac de causa homo, etiam acutissimo intellectu praeditus, in ordine ad eliciendum actum fidei, si sibi soli relinquatur, in eodem statu manet ac brutum in ordine ad intelligendum aliquod principium metaphysicum.

Utique, acuitas intellectus atque eruditio magnas partes in fide

⁴³ Cfr. SALMANTICENSES, tr. II, *De visione Dei*, V, 41 (t. I, p. 264); JOANNES A S. THOMA, *Philosophia naturalis*, p. IV, q. II, a. III (Ed. Taurini 1937, t. III, p. 82a-83). Aliqui hoc praecise exemplum adducunt ad demonstrandum, quod non semper diversa essentialiter ontologica perfectio diversitatem obiecti arguit (Cfr. LENNERZ l. c.); supponunt siquidem visionem hominis et bruti secundum ontologicam perfectionem «*essentialiter*» differre. Si res tamen bene consideretur, clare apparet illam «*essentialiter*» differentiam non esse nisi puram illusionem. Utique, visio hominis et visio animalis differunt, sed «*accidentaliter*» tantum. Numquid duo actus, unus elicited a bruto, alius elicited ab homine, eo ipso quoad ontologicam perfectionem specificiter differre dicendi sint, quia ille est in bruto, hic vero in homine? Minime. Cum enim brutum et homo in animalitate conveniant, actus qui ipsis conveniunt, ut sunt formaliter animalia, non possunt specie differre, si circa idem obiectum versantur. Iamvero visio, ut visio, non convenit homini ut est formaliter homo, sed ut est formaliter animal, ergo a quonam desumenda erit illa «*essentialis*» differentia visionum?

⁴⁴ BILLOT L., *De virtutibus infusis*, p. 68-82, Romae 1921, contrarium tenet, sed processus ipsius potius quam tentamen explicandi dogma ope principiorum metaphysicorum, videtur esse quidam conamen explicandi principium metaphysicum ope cuiusdam aprioristicae explicationis dogmatis.

habent; duo tamen distinguenda sunt in assensu fidei⁴⁵: apprehensio explicatioque mysteriorum, et ipse formalissimus assensus fidei; illud prius, utique, perfectius haberi poterit ex maiori perfectione intellectus, sed alterum nullo modo crescit iuxta quantitatem perfectionis naturalis intellectus.

Cum tamen actus fidei de facto sit actus proprius intellectus nostri, intellectus autem antequam sit actu credens necesse est ut sit credens in potentia (sicut antequam sit intelligens actu necesse est ut sit intelligens in potentia), ideo ex necessitate absoluta requiritur, ut intellectus noster antequam sit actu credens, elevetur intrinsece atque corroboretur aliqua forma supernaturali divinitus facultati suae naturali superaddita, qua capax reddatur assensum fidei eliciendi. Neque sufficit ad eliciendum actum fidei aliquis impulsus Dei; utique, impulsus quidam Dei, per se loquendo, ad eliciendum actum fidei requiritur, attamen hic impulsus praesupponit iam in intellectu virtutem a Deo facultati naturali superadditam; ita quidem, ut neque de potentia Dei absoluta sufficeret potentia naturalis intellectus una cum concursu Dei concomitante supernaturali in ipsum actum, non vero in potentiam, uti Salmanticenses loquentes de visione beatifica docent⁴⁶; actus porro fidei, ut ex expositione patet, est eiusdem ordinis ac actus visionis beatificae.⁴⁷

Ex consideratione actus fidei patet iam quid de virtute ad talem actum praerequisita sentiendum sit.

Virtus ad aliciendum actum fidei necessaria apparet iam ut lumen quoddam intellectuale supernaturale quoad ipsissimam suam entitatem, quod Deus gratiose intellectui nostro communicat in ordine ad attingendum ipsum Deum sub ratione Deitatis ex *motivo* ipsiusmet testimonii entitative supernaturalis.

Lumen hoc habet aliquid de potentia. Non quidem quatenus ipsi lumini praecisive sumpto connaturale sit elicere actum fidei, sed quatenus dicit totam quantitatem efficaciae seu totum « *posse activum* » in ordine ad actum fidei; quae quidem quantitas efficaciae non nisi communicata intellectui in actum influere potest.

Et ideo principium eliciens actum fidei ex entitate naturali intellectus, vel melius, ex potentia eiusdem obedientiali, et ex elevatione ipsius potentiae per lumen infusum necessario coalescit. Haec porro elevatio habet tum rationem *virtutis*, quatenus praesupponit in intellectu commensurationem essentialem ad actum fidei, tum etiam rationem *potentiae*, quatenus dat « *simpliciter posse* » in ordine ad eundem actum.

Actus proinde fidei procedit ab intellectu et a lumine infuso tamquam ab unica causa, ac si intellectus naturalis et lumen infusum in ratione causae identificarentur. Haec duo: potentia scilicet naturalis intellectus nostri et lumen infusum, in esse rei essentialiter distincta

⁴⁵ Cfr. SALM. tr. II, *De visione Dei*, V, 45 (t. I, p. 265).

⁴⁶ Cfr. SALM. *ibid.* IV, 44 sqs. (t. I, p. 235 sqs.).

⁴⁷ Cfr. SALM. tr. XII, *De virtutibus*, III, 39 (t. VI, p. 552).

et ab invicem separabilia, in esse causae unum et indivisibile principium actus fidei constituunt, unicumque dumtaxat influxum exhibent, qui totus est luminis infusi, et totus etiam intellectus; huius ut principii remoti, illius ut virtutis proximae; sicut influxus ad intelligendum totus est animae et totus est intellectus, illius ut principii remoti, istius vero ut principii proximi.

Lumen supernaturale ad eliciendum actum fidei requisitum, in communi quidem theologorum loquela facile cum *habitu fidei* infuso confunditur. Nihilominus, praescindendo a modo quo actus fidei eliciatur (an sc. connaturaliter et permanentemente, vel minime), lumen ad assensum fidei praerequisitum dupliciter potest communicari, vel *transeuntem* vel *permanentem*. Si communicatur *permanentem*, tunc solummodo est proprie *virtus* seu *habitus fidei infusus*; si autem communicatur *transeuntem*, tunc non dicitur proprie habitus, sed *auxilium quoddam transiens*.⁴⁸

Ex his omnibus clare iam videre possumus in quonam lumen fidei conveniat in quonam vero differat a virtutibus moralibus tum acquisitis tum infusis.

In eo quidem convenit cum omnibus aliis virtutibus quod tam istae quam illud perficiunt, complent, inclinant atque facilitant potentiam in ordine ad proprios actus.

In eo autem differt, quod omnes aliae virtutes praesupponunt in potentia «*posse simpliciter*» ad entitatem seu substantiam physicam actus, solumque influunt in eorum rectitudinem; hac cum differentia quod influxus virtutis acquisitae est necessarius tantum ad «*facilius posse*» ipsius rectitudinis, cum suppleri possit per aliquam motionem transeuntem,⁴⁹ dum influxus virtutis moralis infusae est necessarius ad «*simpliciter posse*» eiusdem rectitudinis, cum a nullo naturali suppleri possit; ⁵⁰ lumen autem fidei nullum absolute «*posse activum*» ad correspondentem actum supponit, neque quidem ad ipsius nudam entitatem seu substantiam physicam.

Opòrter ergo dicere quod lumen fidei sit revera eiusdem ordinis ac gratia sanctificans⁵¹ et visio ipsa beatifica.⁵²

Haec quae diximus de supernaturalitate actus fidei, et de lumine ad ipsum eliciendum requisito, non tantum applicanda sunt actui qui attingit per modum obiecti «*quod*» illud quod est obiectum fidei *primarium*, Deum, videlicet, sub ratione Deitatis; sed etiam actui qui taliter attingit obiectum fidei *secundarium*, creaturam nempe.

Cum enim fides omnia attingat prout stant sub testimonio Dei tamquam *motivo*, *motivum* vero, ut infra videbimus sese habeat ad obiectum «*quod*» tamquam forma, obiectum *secundarium* a motivo «*formalizatur*», constituiturque, in ratione obiecti attacti, in eodem ordine in quo est ipsum *motivum*; *motivum* autem est entitative supernaturale.⁵³

⁴⁸ Cfr. SALM. tr. XIV, *De gratia*, III, 84, 92, 94 (t. IX, p. 392, 397, 398).

⁴⁹ Cfr. SALM. tr. XII, *De virtutibus*, I, 30-61 (t. VI, p. 211-225).

⁵⁰ Cfr. SALM. *ibid.* III, 39-40 (t. VI, p. 351-352).

⁵¹ Cfr. SALM. tr. XIV, *De gratia*, III, 25 (t. IX, p. 345).

⁵² Cfr. SALM. tr. XII, *De virtutibus*, III, 39 (t. VI, 352).

⁵³ Cfr. infra pag. 300.

Immo, idem omnino applicandum est etiam actibus fidei sic dictae *mortuae* seu *informis*; quod quidem maxime est notandum ad praecludendam viam quibusdam explicationibus minus rectis, nitentibus specificum discrimen inducere inter fidem *veram* (*informem*) et fidem *vivam*.⁵⁴ Actus enim specificant habitum immediate; iamvero divisio fidei in *formatam* et *informem* est pure accidentalis, « nam idem numero habitus, qui sine gratia et caritate dicitur fides *mortua* et *informis*, illis advenientibus efficitur fides *viva* et *formata*, solum enim ponit haec informatio ordinem ad ultimum finem participatum a caritate ». ⁵⁵ Haec est doctrina explicita ipsiusmet Doctoris Communis.⁵⁶

B) DE NATURA FIDEI THEOLOGICAE CONSIDERATAE IN RELATIONE AD MODUM ACTUM PROPRIUM ELICIENDI.

Quae hucusque circa naturam fidei theologicae diximus, virtutem hanc in ordine, ut sic dicamus, statico respiciunt. Consideranda nunc venit eadem virtus in ordine, dicamus, dynamico.

I. — *Status quaestionis.*

Vidimus hucusque qualiter ad hoc ut intellectus actum fidei eliciat absolute necessaria sit virtus quoad ipsam suam entitatem supernaturalis, qua intellectus corroboretur et elevetur; nunc vero hac corroboratione et elevatione supposita quaerimus quomodo intellectus agat, seu quomodo actum fidei eliciat.

Multae et graves satisque etiam complexae quaestiones hoc sub titulo considerari possent, quas sane longum esset vel tantummodo hic eas enuntiare.

Nos tamen non omnes hic examinare intendimus, sed illas ad unicum tantum quaestionem delimitamus, quae, uti nobis videtur, ceteris, quaecumque sint, lucem non exiguam praebere potest. Quaerere nimirum intendimus quodnam sit illud primum credibile ad quod *in ordine exercitii* primus actus fidei necessario terminari debeat. Utrum videlicet fides *ordine exercitii* debeat semper et necessario prius terminari ad aliquam veritatem circa Deum, puta ad divinam revelationem an vero possit terminari ad aliquam aliam veritatem, puta pertinentem ad creaturam quin prius actu exercito attingat ipsum Deum vel eius revelationem per modum obiecti « *quod* ».

Explicando rem modo magis in concreto, scire volumus, utrum v. gr. justificatus ex opere operato et consequenter consecutus divinitus elevationem et corroborationem proprii intellectus per habitum fidei infusum in tempore incapacitatis actus humani, quando tandem per-

⁵⁴ Cfr. « ÉTUDES CARMÉLITAINES », 22 année (1937), vol. I, p. 157-188.

⁵⁵ Cfr. SALM. t. XII, *De virtutibus, Arbor praedicalmentalis*, n. 13 (t. VI, p. 423).

⁵⁶ Cfr. *Summa theol.* II-II, IV, 4, c. et *De veritate*, q. XIV, a. 7, c.

venerit ad usum rationis et consequenter ad instans necessitatis eliciendi primum actum fidei, utrum hoc primo actu fidei necessario debeat attingere ut « *quod* » aliquid pertinens ad ipsum Deum, puta ipsum esse revelatorem doctrinae ad fidem pertinentem, an possit hoc actu attingere ut « *quod* » aliquam veritatem pertinentem ad creaturam quin prius eodem modo Deum attingat.

Necessitas attingendi per prius Deum variis ex capitibus pensari et attendi potest, nos tamen illam attendimus unice *per respectum ad exigentiam innatam ipsius naturae fidei theologicae*. Unde quaerimus tantummodo: *utrum talis sit natura fidei theologicae ut exigat absoluta cum necessitate ut primus eius actus in ordine exercitii terminetur ad Deum; an vero possit, servata inviolabiliter eiusdem natura propria, terminari primo in eodem ordine ad aliquid extra Deum.*

Ut intuenti patet, quaestio haec revera ad naturam fidei theologicae magis magisque explicandam conducit, ideo non frustra excitatur, eo vel magis quod circa hanc quaestionem non unica videtur esse theologorum sententia.

II. — Theologorum placita.

Sunt quidam theologi qui censent nullatenus posse habitum fidei assentire alicui veritati pertinenti ad creaturam, quin prius attingat Deum credendo saltem illum esse summe veracem et revelatorem praedictae veritatis.

Iuxta aliquos igitur ex his auctoribus in initio credendi, quando generatur fides distinctis actibus creditur revelatio et veritas revelata, et prius ad hoc pervenitur, ut credatur hoc esse dictum a Deo et deinde credi ipsum dictum; postea vero in virtute praecedentium actuum fieri potest ut totum illud simul apprehendatur et uno actu credatur.⁵⁷

Alii vero quamvis non distinguant explicite inter primum et subsequentes actus fidei, idem quoad substantiam tenent, statuentes quod in omni actu fidei intellectus habitu fidei theologicae elevatus, primo, ordine saltem naturae, attingere debet ut « *quod* » divinam revelationem eiusque infallibilitatem, et postea ipsam veritatem revelatam, adeo ut in omni actu fidei debet attingi auctoritas Dei revelantis non tantum per modum obiecti « *quo* » sed etiam per modum obiecti « *quod* ». Ideo est impossibile ut fides theologica attingat aliquid ad creaturam pertinens, quin prius (saltem ordine naturae) attingat ut « *quod* » ipsum Deum.⁵⁸

Rationes quibus auctores freti ad hanc sententiam pervenerunt, quamplurimae sunt; indoles tamen nostrae quaestionis supra definitae non exposcit ut cognoscamus nisi illas tantum quae aliquo modo ex ipsa natura fidei theologicae desumuntur; harum vero quatuor sunt praecipue.

⁵⁷ Cfr. SUAREZ, *De fide*, disp. II, sec. IV, n. 11.

⁵⁸ Cfr. GARRIGOU-LAGRANGE, *De revelatione*, Romae 1929, t. I, p. 498 sqs.

Prima desumitur ex obiecto fidei primario. « Deus est primum credibile, alia vero non sunt credibilia nisi per subordinationem ad ipsum Deum. Atqui, si eodem actu quo creditur aliqua veritas ad creaturas pertinens, non crederetur saltem infallibilitas Dei eiusque revelatio, nec Deus esset primum credibile, nec veritas creata crederetur per subordinationem ad Deum. Ergo, eodem actu quo creditur veritas ad creaturas pertinens, necessario credi debet ut "quod" saltem Dei infallibilitas eiusque revelatio ». ⁵⁹

Altera ratio ex specificatione actus fidei ab obiecto desumitur. « Auctoritas Dei revelantis specificat actum fidei, quatenus est verum obiectum vel terminus actu eodem attingendus, non merum motivum vel principium obiectivum. Etenim actus omnis est tendentia in obiectum cum assecutione, et actus cognitionis vel amoris est interna quaedam repraesentatio vel amplexio obiecti; unde actus specie vel essentia alius est prout aliud est obiectum formale, h. e. ratio ea rei, quae petendo attingitur, intus repraesentatur, amando continetur; et ita actus fidei, assensus in veritates revelatas propter auctoritatem Dei revelantis, ab auctoritate Dei revelantis speciem habet, si actus idem in eam, ut obiectum formale vel terminum proprium suum capiendum, et tantum ratione eius attactae in veritates varias revelatas tendit ». ⁶⁰

Tertia ratio ex supernaturalitate motivi fidei desumitur. « Revelatio ut est motivum fidei supernaturalis quoad substantiam, debet ipsa esse supernaturalis quoad substantiam. Atqui quod est supernaturale quoad substantiam non potest, ut tale, cognosci nisi supernaturaliter, id est deficiente lumine gloriae, per fidem supernaturalem. Ergo revelatio, ut est motivum fidei, est simul id "quo" et "quod" supernaturaliter creditur ». ⁶¹

Ultima tandem ratio ex certitudine fidei super omnia desumitur, quaeque ratio omnium potissima esse videtur. Ut vero haec ratio facilius perspici possit, notandum est imprimis principium in quo tota haec ratio fundatur. Principium illud sequens est: « Assensus praestitus Auctoritati Dei revelantis habet rationem causae, non merae conditionis praeviae, quatenus refertur ad assensum praestandum obiecto revelato ». ⁶² Fautores igitur huius sententiae censent cognitionem Auctoritatis Dei revelantis, et pressius, assensum in duplicem complexum: « quidquid Deus revelavit verum est » et « Deus hoc vel illud revelavit » directe et per se tamquam causa in certitudinem formalem assensus praestiti obiecto revelato influere. Simili quodam modo ac cognitio principiorum seu assensus ipsis datus in certitudinem formalem conclusionis, vel amor finis in intensitatem et vehementiam amoris medii influit. Assentio

⁵⁹ Cfr. PEREZ ANTONIUS, *In II et III Divi Thomae*, tr. IV, *De virtutibus theol.*, disp. II, c. I, n. 4-5, Lugduni 1669.

⁶⁰ Cfr. STRAUB *l. c.*, p. 251.

⁶¹ Cfr. GARRIGOU-LAGRANGE, *De revel. t. I*, p. 500-501.

⁶² Cfr. WILMERS G. *De fide divina*, Ratisbonae 1902, p. 344 sqs.

enim *ideo* et *catenus* conclusioni, *quia* et *quatenus* assentio principiis seu praemissis. *Ideo* et *eatenus* amo media *quia* et *quatenus* amo finem. Sic pariter in fide, intellectus noster, *ideo* et *eatenus* assentit mysterio, *quia* et *quatenus* assentit complexo: « *Deus est infallibilis* », et « *Deus revelavit* ».

Intellectus igitur habitu fidei elevatus ab assensu in Auctoritatem Dei revelantis ad assensum in obiectum revelatum logico processu transit; adeo, ut hic ultimus assensus et quoad entitatem propriam et quoad proprietates, illi priori omnino proportionetur atque commensuretur.

Posito hoc principio sequitur per modum corollarii quod certitudo fidei ultimo et formaliter in eo fundaretur per quod Auctoritas Dei revelantis cognosceretur, « *causa* — enim — *causae est causa causati* ». Cum vero fidei certitudo sit super omnia, ad salvandam hanc fidei certitudinem, oportet ut Auctoritas Dei revelantis per ipsam fidem cognoscatur, secus ex hac parte nutaret.

Et consequenter oportet dicere, aut quod primus actus fidei ordine exercitii attingere debet Auctoritatem Dei, aut quod in omni actu fidei prius, prioritate saltem naturae, necesse est ut attingatur per modum obiecti « *quod* » Auctoritas Dei revelantis et postea ipsa veritas revelata.

Sub luce huius principii facile iam intelligi possunt ipsae rationes quae ex certitudine fidei desumptae illud probare intendunt.

Sic v. gr. Suarez⁶³ arguit: non potest esse firmitus aedificium quam fundamentum eius, sicut non potest esse certior conclusio, quam principium, atqui illa duo principia, nempe: « *Deus est infallibilis* » et « *Deus dixit* » sunt fundamentum fidei, ergo haec principia debent esse cognita lumine supernaturali; non est autem in hac vita supernaturale lumen, vel prius vel melius quam fides, ergo illa duo principia non aliter sunt fundamentum fidei quam ut cognita per ipsam fidem; ergo etiam in ratione credibilis fide divina sunt priora ceteris credibilibus, quae sub ea ratione ab his pendent.

Alibi⁶⁴ eandem rationem magis evolvens Suarez sic arguit: « fieri non potest ut assensus altioris ordinis per se fundetur in assensu inferioris ordinis, nec maior certitudo potest per se fundari in minori; sed assensus fidei est altioris ordinis, et magis certus quam assensus naturalis et evidens; ergo fieri non potest ut assensus fidei ex parte sui obiecti formalis, fundetur in assensu tantum naturali et evidenti. Maior videtur per se nota ex terminis, et ex illo Aristotelis: « *Propter quod unumquodque tale, et illud magis* »; tota enim perfectio effectus est ex causa, et firmitas aedificii ex fundamento; ergo impossibile est ut certior sit cognitio fundata in alia, quam sit ea in qua fundatur. Et inde facile probatur consequentia, quia certitudo fidei tota nititur in suo obiecto formali, atque adeo in cognitione eius, nam ut

⁶³ *De fide*, disp. II, sec. IV, n. 7.

⁶⁴ *ibid.*, disp. III, sec. VI, n. 5-6.

cognitum movet ad credendum... » Ergo sola evidens cognitio quod Deus sit prima veritas, non sufficit pro fundamento et obiecto formali fidei, sed necessaria est fides infusa eiusdem veritatis ».

III. — Mens Salmanticensium.

Cum principia, saltem plura, quae in his rationibus adhibentur ab ipsis Salmanticensibus alte proclamantur atque strenue defendantur, videretur doctrinam supra expositam sine ulla haesitatione Salmanticensibus adscribendam esse. Eo vel magis quod Salmanticenses explicitè asserunt revelationem divinam, quae est *motivum* fidei, unum ex particularibus credibilibus esse,⁶⁵ ideoque posse credi propter seipsam sine circulo et sine processu in infinitum. In illo casu enim revelatio duplicis obiecti munus agit: obiecti « *quod* » et obiecti « *quo* », nam sicut lux — dicunt — corporalis est ratio formalis « *sub qua* » potentiae visivae, est per seipsam visibilis, nec indiget alia, ut videatur; ita cum divina revelatio sit ratio formalis « *sub qua* » fidei infusae, debet esse credibilis per seipsam, hocque munus exercere (si semel creditur) quia respectu huius actus gerit munus obiecti « *quo* » et « *quod* ». ⁶⁶

Praeterea Salmanticenses explicitè etiam admittunt *possibilitatem* casus in quo « ex actu fidei, quo credimus Deum esse summe veracem, et aliquam veritatem creatam revelasse, *inducimur* ad illius assensum, influitque ipse Deus ut creditur in hunc actum, non solum in genere causae *finalis*, sed etiam *efficientis* ». ⁶⁷

Aliud tamen est quaerere quidnam intellectus habitu fidei elevatus efficere possit, seu quomodo agere valeat, aliud vero est quaerere quidnam, exigente hoc ipsa natura fidei theologicae, efficere debeat.

Quaestio nostra non intra ambitum possibilitatis, sed potius intra ambitum necessitatis absolutae excitatur. Quaerimus, nempe, utrum ipsa natura intima fidei theologicae ex absoluta necessitate hoc exigit ut primus eius actus ad ipsum Deum terminetur, et consequenter non attingat in *ordine exercitii* aliquam veritatem ad creaturam pertinentem quin aliquomodo prius attingat aliquid de Deo.

Mens porro Salmanticensium hanc circa quaestionem est omnino clara, cum sententiam expositam explicitè et ex professo crisi subiiciunt.

Ob quaestionis momentum liceat ipsissima Salmanticensium verba referre. Postquam sententiam supra explicatam cum principali eius ratione exposuerint,⁶⁸ haec proferunt ⁶⁹: « voluntarie prorsus adstruitur, teneri Deum ad revelandum se esse fide dignum, ex suppositione, quod aliqua sub sua auctoritate credenda proponat, quoniam cum

⁶⁵ Cfr. tr. XVII, *De fide*, I, 163, 192, 193; tr. XVIII, *De spe*, I, 66 (t. XI, p. 76-77, 89, 482).

⁶⁶ tr. XVII, *De fide*, I, 163 (t. XI, p. 77).

⁶⁷ *ibid.*, I, 207 (t. XI, p. 12).

⁶⁸ *ibid.*, I, 14 (t. XI, p. 10).

⁶⁹ *ibid.*, I, 15-16 (t. XI, p. 11).

possit supponere huiusmodi notitiam in subiecto, cui loquitur, utpote naturali ratione acquisibilem, non apparet qua de causa teneatur illam revelare. Praeterquam quod huiusmodi veritas etsi a Deo reveletur, non ideo cadet per se sub assensu fidei, cum sit naturaliter demonstrabilis. Tum denique, quia si per fidem humanam, quae alicuius hominis dictis innititur, non oportet aliquid de illo ut subiecto credere, eo quod potest nobis alio lumine innotescere ipsius testimonium, et in his, quae testificatur, fidem promereri, ut docet ipse Suarez, cur non philosophabimur eodem modo de fide infusa, cum possit illius subiecto, v. gr. Angelo, alia luce evidenti constare, et Deum sibi loqui, et esse fide dignum in his, quae revelat? Dicere namque in causa esse fidei certitudinem, quae debet naturalis rationis firmitatem excedere, difficultatem non diluit, sed ad aliam divertit inferius discutiendam. Praesertim cum fides et evidentia eiusdem propositionis non possit simul et semel in eodem subiecto esse, quantumcumque oppositum Suarez intendat.

» Nec plus roboris habet ultima ratio huius auctoris, aut confirmatio Lugonis. *Primo*, quia si eo ipso, quod quis assentiatur alicui veritati propter divinum testimonium, credit Deum illam revelasse, etiam is, qui praebet assensum alicui historiae propter testimonium hominis illam referentis, crederet eo ipso, et eodem actu praedictam historiam esse ab ipso narratam; cum eadem ratio militet utrobique; quod tamen falsitati obnoxium esse experientia ipsa declarat. *Secundo*, quia etsi intellectus nequeat assentiri conclusioni, quin assentiatur "*ut quod*" medio cui innititur, sive praemissis ex quibus infertur, id tamen non exercet per habitum scientiae, quae directe terminatur ad conclusionem, sed per habitum primorum principiorum; hic enim est, qui attingit "*ut quod*" praemissas immediatas, ex quibus conclusio deducitur: ergo licet idem intellectus non possit credere fide infusa, Abraham v. gr. habuisse duos filios, quin praecognoscat Deum esse summe veracem in dicendo, praedictamque veritatem revelasse; non tamen opus erit, quod hanc praecognitionem habeat per lumen fidei, sed potius dicta praecognitio spectare debet ad aliam lucem fidei praevidiam.

Alibi hanc eandem doctrinam Salmanticenses repetitis vicibus expriment. Sic v. gr. ad quaestionem: « an de fide sit, esse de fide immediate, quod papa nunc regnans sit summus pontifex, et consequenter an contrarium asserere sit haereticum »⁷⁰ negative respondent; et ad quandam obiectionem contrarium suadentem dicunt: « intimius se habet ad rem credendam Dei revelatio, quam pontificis definitio; siquidem haec solum est *conditio* ad fidem catholicam, illa vero est *motivum formale* fidei; sed possibile est credere assensu fidei immediate rem a Deo revelatam, quin credatur revelatio, vel Deus revelans. Ergo... »⁷¹

Insuper, alio in loco,⁷² duplicem assensum distinguentes, unum circa revelationem divinam, alium circa obiectum reduplicative ut revelatum, expresse notant, priorem assensum divinam revelationem non

⁷⁰ *ibid.* IV, 23 (t. XI, p. 261).

⁷¹ *ibid.* IV, 31 (t. XI, p. 266).

⁷² *ibid.* III, 30, 60 (t. XI, p. 203, 220).

solum ut obiectum *motivum*, sed etiam ut *terminativum* respicere, assensum vero fidei non respicere necessario divinam revelationem ut obiectum *terminativum*, sed solum ut *motivum*, id est, assensum fidei — dicunt — non attingere divinam revelationem ut obiectum « *quod* » sed ut obiectum « *quo* ».

Praeterea, agentes de adoratione imaginis ⁷³ oppositionem instituunt inter modum attingendi imaginem in esse imaginis, et modum attingendi *motivum* fidei. Illam dicunt attingi per adorationem ut « *quod* », hoc vero minime debere attingi per assensum fidei ut « *quod* ».

His quidem in locis Salmanticenses directe de fide illorum agere videntur, quibus revelatio immediate facta est, quo in casu particularis inest ratio ad negandum quod *motivum* per fidem debet attingi « *ut quod* », videlicet, evidentiā in attestante. Iuxta Salmanticenses enim fides et evidentiā eiusdem propositionis non possunt simul et semel in eodem subiecto esse. ⁷⁵

Nihilominus, hi textus plenam efficaciam habent ad ostendendum Salmanticensium mentem contrariam esse sententiae supra expositae. Cum enim illa sententia necessitatem attingendi a fide theologica *motivum* ut « *quod* » ex *necessitate absoluta* seu *ex ipsa exigentia naturae ipsius fidei theologicae* statuatur, sequitur exinde, quod in quocumque subiecto fides theologica inveniatur, talis modus *motivum* attingendi locum habere debet. Et ideo vi illius sententiae etiam illi qui evidentiā circa auctoritatem Dei revelantis habent, ipsam, ut est *motivum* fidei, per fidem attingere deberent.

Nec potest quis dicere quod lumen propheticum id ipsum facere in illis relate ad *motivum* fidei, quod apud nos ipsa fides theologica facit; quia — ex una parte — iuxta Salmanticenses cognitio prophetica minoris est certitudinis ac cognitio fidei theologicae, ⁷⁶ iuxta illam sententiam vero *motivum* fidei, cognitione quae sit inferioris certitudinis quam est certitudo ipsius fidei, nequaquam attingi potest. Alia vero ex parte, repugnat — iuxta Salmanticenses — dari duplicem fidem specie distinctam ideoque fides nostra est eiusdem speciei cum illa quam habuerunt Angeli et Prophetae seu illi qui evidentiā in attestante habuerunt. ⁷⁷

Iuxta Salmanticenses, ergo, primus actus fidei theologicae, non necessario debet terminari in Deum, ideoque potest attingere aliquam veritatem ad creaturam pertinentem quin prius prioritatem temporis vel naturae Deum per modum obiecti « *quod* » attingat.

Sed quid de rationibus quibus contrarium probari solet, nunc dicendum venit.

⁷³ tr. XXI, *De incarnatione*, XXXIII, 40 (t. XVI, p. 697).

⁷⁴ tr. VIII, *De ultimo fine*, I, 75 (t. V, 40).

⁷⁵ tr. XVII, *De fide*, III, 33-96 (t. XI, p. 205-241).

⁷⁶ *ibid.*, II, 123-125 (t. XI, p. 164-165).

⁷⁷ Cfr. tr. XVII, *De fide*, III, 30 (t. XI, p. 23); *Adnot. ad q. IV. a. 6* (t. XI, p. 383); *ibid.*, VIII, 1-7 (t. XI, p. 386-390); tr. XXI, *De incarnatione*, XVII, 57 (t. XV, p. 59); *ibid.*, XX, 27 (t. XV, p. 233); *ibid.*, XXI, 12 (t. XV, p. 268).

IV. — *Explicatio et iustificatio mentis Salmanticensium.*

1) *Quoad obiectum fidei primum.* Utique, iuxta Salmanticenses, Deus est fidei obiectum *primum*, ideoque *primum credibile*, alia vero praeter Deum non sunt credibilia nisi *per subordinationem ad ipsum Deum tamquam primum credibile*. Sed videndum est in quonam, iuxta ipsos, haec subordinatio consistat.

Iuxta Salmanticenses dicta subordinatio, tum in relatione ad ipsum Deum, tum in relatione ad modum attingendi id quod subordinatur, explicari potest.

In ordine quidem ad Deum, tunc aliqua creatura dicitur per fidem cum subordinatione ad Deum tamquam primum credibile attingi, si et quando ingerit nobis maiorem Dei notitiam vel ad eam nos ducit. Agitur ergo de subordinatione *in genere causae finalis*.⁷⁸

In ordine vero ad modum illud attingendi, revera, tunc aliquid dicitur cum subordinatione ad primum credibile attingi, cum hoc, tamquam ratio «*quae*» prius inspecta, est ratio attingendi illud. Hic tamen quam maxime attendenda est explicatio Salmanticensium.⁷⁹ Iuxta ipsos, illud quod subordinatur, creatura sc., attingitur quidem ratione primi credibilis prius inspecti, exinde tamen minime sequitur fidem nullatenus posse attingere aliquam veritatem ad creaturam pertinentem, quin prius *in actu exercito* ipsum Deum attingat.

In habitu enim fidei duplex habitudo ad suum obiectum distinguenda est: habitudo sc. *in ordine intentionis*, et habitudo *in ordine exercitii*.

Considerando habitudinem fidei *in ordine intentionis*, verum est quod habitus fidei non potest ordinari ad credendam veritatem ad creaturas pertinentem, quin prius respiciat tamquam «*quod*» Deum; habitus enim fidei, quantum est ex se, et ex propria inclinatione, respicit per se primo et directe ipsum Deum, seu illud quod est primum credibile, nec tendit ad creaturas, nisi cum subordinatione ad illud.

Econtra, considerando habitudinem fidei *in ordine exercitii*, habitus fidei potest attingere entia creata, quin prius *in actu exercito* attingat Deum ut «*quod*».

Neque ex eo quod fides *in exercitio* suorum actuum terminetur ad creaturam quin prius terminetur ad Deum, poterit quis concludere obiectum fidei primum non esse Deum et consequenter fidem ex innata sua inclinatione seu ordine *intentionis* non ferri in Deum tamquam primum credibile, neque ab eodem speciem desumere; quia cum — ex una parte — *ordo executivus iam praesupponat habitum supernaturalem in sua specie constitutum*,⁸⁰ et — alia ex parte — cum *non infrequenter sit primum in executione id quod est secundarium in intentione*,⁸¹ natura cuiuscumque habitus supernaturalis, ideoque illius

⁷⁸ Cfr. SALM. tr. XVII, *De fide*, I, 20, 23 (t. XI, p. 12, 13).

⁷⁹ Cfr. *ibid.*, I, 17 (t. XI, p. 11); tr. VIII, *De ultimo fine*, I, 64, 86 (t. V, p. 35, 45).

⁸⁰ Cfr. SALM. tr. XVII, *De fide*, I, 21 (t. XI, p. 13).

⁸¹ Cfr. *ibid.*, I, 17 (t. XI, p. 11).

obiectum primum et specificativum, venari non debet ex ordine quem habere potest *in exercitio suorum actuum*, sed ex habitudine qua ad sua obiecta fertur *in ordine intentionis*.

Ex eo igitur quod obiectum fidei primum sit Deus, minime sequitur quod fides *in exercitio suorum actuum*, antequam terminetur in creaturam, *necessario debeat* terminari in ipsum Deum, vel eodem actu quo creditur veritas ad creaturas pertinens *debeat necessario* credi ut « *quod* » saltem Dei infallibilitas eiusque revelatio.

2) *Quoad specificationem habitus fidei ab obiecto*. Sane, iuxta Salmanticensis si de specificatione habitus et actus in genere causae formalis agatur, haec non nisi ab obiecto desumenda est⁸²; « admissio enim — dicunt ipsi — quod actus specificetur a principio elicetivo (in hoc genere), nihil in vera philosophia non nutaret circa speciem, ac distinctionem potentiarum et habituum, compelleremurque nova fundamenta aperire, quae non docuerant Aristoteles, Divus Thomas et alii scholae principes. Quod licet facile admitterent iuniores, ne ullum principem haberemus ex antiquis, cederet profecto in summam verae sapientiae iacturam ».⁸³ Et hoc quidem — notant — contra Suarez⁸⁴ pro quocumque statu rerum tenendum est, adeo ut neque de *potentia Dei absoluta*, multiplicari possint in eadem potentia actus specie diversi circa idem obiectum formale.

Sed quaestio est a quonam obiecto actus specificetur, et quomodo illud ad specificationem concurrat, per modum scilicet obiecti actu exercito attacki ut « *quod* », an solum attacki per modum obiecti « *quo* ».

Iuxta Salmanticensis, actus specificatur ab obiecto « *quod* » secundum propriam rationem formalem « *quae* » consideratum, non tamen praecisive sumptum, sed prout stat sub ratione formali « *sub qua* », seu *motivo*.⁸⁵

Huiusmodi quippe rationis formalis est tribuere atomam unitatem et distinctionem obiectis « *terminativis* » in eo quod obiecta sunt; habet enim se ad rationem formalem « *quae* » sicut forma ad materiam primam; nam quemadmodum forma actuat materiam, illamque in determinata entis naturalis specie constituit, ita ratio formalis « *sub qua* » rationem formalem « *quae* », alias indifferentem ad diversa genera obiecti, constituit in determinata specie huius ordinis, illamque ita actuat, ut possit habitui vel actui speciem impertire. Sic v. gr. quod attinet fidem, res dicta seu revelata se habet ut materia, revelatio autem ut forma « *formalizans* » illam, atque ideo ex re dicta et ex revelatione fit obiectum totale coalescens ex illis tamquam ex partibus, extrinsecis quidem *in esse entis*, intrinsecis autem *in esse obiecti*.⁸⁶

Propterea dicere oportet quod ultimum specificativum actus est proprie ratio formalis « *sub qua* » seu *motivum*.⁸⁷

⁸² Cfr. tr. XIV, *De gratia*, III, 49 (t. IX, 360).

⁸³ *ibid.*, III, 60 (t. IX, p. 374).

⁸⁴ *ibid.*

⁸⁵ Cfr. tr. XVII, *De fide*, I, 2 (t. XI, p. 5).

⁸⁶ Cfr. SALM. *ibid.*, II, 85 (t. XI, p. 141).

⁸⁷ Cfr. *ibid.*, I, 1 (t. XI, p. 5).

Nunc vero ex modo sese habendi rationis formalis «*sub qua*» ad rationem «*quae*» et consequenter ab obiectum «*quod*» iam apparet quod, ut actus a *motivo* specificetur, non est necessarium ut ipsum *motivum* per modum obiecti «*quod*» ab actu attingatur.

Cum enim *motivum* sese habeat ad obiectum «*quod*» tamquam forma, ipsum obiectum «*quod*» a *motivo* «*formalizatur*»,⁸⁸ ideoque etiamsi obiectum «*quod*» in esse rei sit quid naturale, ut stat tamen sub *motivo supernaturali*, ideoque in esse obiecti, «*supernaturalizatur*»,⁸⁹ et consequenter actus attingens hoc obiectum sic «*supernaturalizatum*» non potest non esse eiusdem ordinis ac ipsum *motivum*.

Propterea Salmanticensis statuunt, quod ut finis v. gr. ad specificationem actuum voluntatis concurrat, sufficit ut ab ipsis attingatur aut ut «*quod*» aut ut «*quo*»⁹⁰; et similiter quod attinet etiam *motivum* fidei seu testimonium divinum, explicite statuunt: testimonium Dei, ut est *motivum* specificans fidem, non explicat veritatem, ut «*quod*», sed ut «*quo*», quatenus est medium, cui intellectus innititur in attingendo verum obscurum, ad quod terminatur.⁹¹

3) *Quod attinet supernaturalitatem motivi fidei*. Vidimus supra Salmanticensis strenuos defensores esse supernaturalitatis entitativae *motivi* fidei. Porro *motivum* fidei inducit intellectum ad assentiendum revelatis et quia non potest sic ipsum movere nisi cognoscatur, ideoque *motivum* fidei debet cognosci. Propterea Salmanticensis explicite notant: «ratio formalis «*sub qua*» fidei est *motivum*, quod *per modum obiecti cogniti*, inducit intellectum ad credendum».⁹² Et cognosci quidem debet «*firmiter*» secus «*formidolosus*» erit actus fidei.⁹³

Positis his principiis videretur argumentationem Garrigou-Lagrange etiam in synthesi Salmantensium currere vi alterius principii, de proportionem, videlicet, inter potentiam et obiectum cognoscendum. Nihilominus alia omnino est mens Salmantensium, quam ut recte exponamus, examinemus oportet quid proprie significet — iuxta Salmanticensis — cognoscere auctoritatem Dei revelantis, ut est *motivum* fidei, et sub quanam formalitate illa, ut hoc munere fungens, cognosci debeat.

Cum *motivum* fidei per duplex complexum explicari soleat⁹⁴ nempe: «*Quidquid Deus revelat verum est*» et «*Deus hoc revelavit*», cognoscere *motivum* fidei per modum obiecti «*quod*» nihil aliud — iuxta Salmanticensis — significat, quam huic praecise duplici complexui assensum praebere.

Hoc autem idem est ac cognoscere radicem a quo auctoritas divina ortum ducit, i. e. attributum veracitatis, *in actu primo* consideratum,

⁸⁸ Cfr. SALM. tr. VIII, *De ultimo fine*, I, 27 (t. V, p. 186); tr. XVII, *De fide*, II, 85 (t. XI, p. 141).

⁸⁹ Cfr. SALM. tr. XXI, *De incarnatione*, XIX, 2 (t. XV, p. 127).

⁹⁰ Cfr. tr. VIII, *De ultimo fine*, I, 90 (t. V, 46).

⁹¹ tr. XVIII, *De spe*, I, 63 (t. XI, p. 480).

⁹² tr. XVII, *De fide*, I, 84, 94 (t. XI, p. 39, 44).

⁹³ Cfr. SALM. *ibid.*, I, 153 (t. XI, p. 72).

⁹⁴ Cfr. SALM. *ibid.*, I, 162 (t. XI, p. 76).

et existentiam divinae revelationis, seu ipsum *esse* revelationis divinae.

In hoc maxime est insistendum, ad plures confusiones vitandas. Quando, nempe, Salmanticenses de cognitione *motivi* fidei loquuntur, semper et exclusive cognitionem illius duplicis complexus intelligunt. Quod, uti patet, non est proprie attingere *motivum* fidei quoad entitatem propriam, seu *in esse rei*, sed est potius attingere *motivum* quoad quandam illius proprietatem, infallibilitatem nempe, et quoad illius existentiam. Vidimus enim supra, *motivum* fidei esse primam veritatem revelantem, seu, clarius rem explicando, esse actionem Dei aliquid nobis manifestantis, consequenter, cognoscere entitatem his verbis expressam, per modum obiecti « *quod* », esset proprie attingere immediate et in se ipsum Deum infallibiliter nobis loquentem. Iamvero per cognitionem illius duplicis complexus non attingitur Deus immediate et in se, ideoque neque *motivum* quoad propriam entitatem seu *in esse rei*.

Siquidem, cognoscere primum complexum, est proprie cognoscere id, unde *motivum* fidei ortum ducit, seu id, in quod *motivum* ultimo resolvitur resolutione pure *materiali*, *metaphysice* scilicet et *in essendo*. Sicut cognoscere temperiem primarum qualitatum, non est formaliter cognoscere *motivum* formale visus, quod est color, sed est potius cognoscere id a quo color ortum ducit, et in quo consequenter *motivum* visus resolvitur *metaphysice* et *in essendo*.⁹⁵

Similiter quoad alterum complexum, cognoscere existentiam divini testimonii, sive locutionem divinam quoad « *an sit* » non significat attingere directe et immediate entitatem *motivi* fidei, sed significat potius cognoscere directe et immediate aliquem effectum specialiter et secundum propriam rationem connexum cum tali testimonio; cognoscendo enim talem effectum eo ipso cognoscitur et existentia ipsius locutionis. Et ratio est obvia, quia ille qui cognoscit unum extremum connexum specialiter cum alio, eo ipso cognoscit illud existere licet ipsum in se non cognoscat. Sicut qui cognoscit relationem praedicamentalem, eo ipso cognoscit eius terminum existere, quamvis illum in se ipso non attingat.⁹⁶

His suppositis pulsat iam animum alia quaestio, utrum nimirum in cognoscendo illo duplici complexu, explicari debeat *motivi* fidei supernaturalitas. Utrum sc. sufficiat cognoscere infallibilitatem et existentiam testimonii divini ut est specialiter Dei et non alterius, vel debeamus utramque cognoscere ut est Dei determinate ut *auctoris et finis ordinis supernaturalis*.

In hac porro quaestione attendimus ad cognitionem *motivi* prout *absolute* ad eliciendum assensum fidei praerequiritur, praescindendo ab eo utrum debeat praecedere assensum fidei, an vero includatur in ipso.

Quaestio haec, uti patet, est maximi momenti ad determinandum

⁹⁵ Cfr. SALM. *ibid.*, I, 98 (t. XI, p. 46).

⁹⁶ Cfr. SALM. *ibid.*, III, 5 (t. XI, p. 188).

lumen subiectivum per quod infallibilitas et revelatio, prout *motivum* fidei explicant, cognosci debeant.

Vestigia Salmanticensium sectantes, asserendum esse putamus, cognitionem *motivi*, quae ad actum fidei eliciendum absolute praerequitur, illam esse tantum quae attingit infallibilitatem et revelationem, ut sunt specialiter Dei, praescindendo omnino ab eo utrum pertineant ad Deum ut auctorem ordinis naturalis vel supernaturalis. Hoc quidem Salmanticenses clare innuunt dum de fide Angelorum⁹⁷ atque de *motivo* spei agunt.⁹⁸

In loco priori agentes contra Ferre qui, quantum ad angelum, assebat necessitatem cognitionis testimonii Dei, ut est determinate supernaturale, haec habent: « Ut Angelus evidenter cognoscat aliquam revelationem esse veram, sufficit quod evidenter cognoscat talem revelationem esse specialiter a Deo, quidquid sit de qualitate entitativa talis revelationis ».

Si ergo angelus ad assensum fidei *non necessario* debuit habere cognitionem testimonii Dei ut praecise pertinentis ad Deum *auctorem supernaturalem*, neque nos debemus illam necessario habere, quia ex una parte fides nostra et angelorum est unius eiusdemque speciei — ut supra diximus — et alia ex parte, natura rerum praescindit a quacumque conditione subiecti vel ordine rerum.

Alio in loco Salmanticenses explicite notant ad actum fidei sicut et ad actum spei non praerequiri cognitionem *motivi* « *secundum propriam rationem* » sed sufficere notitiam « *confusam* ».

Praeterea, ubicumque Salmanticenses de cognitione *motivi* fidei agunt, semper et constanter loquuntur de cognoscenda Dei infallibilitate et existentia divinae revelationis, sine ullo addito.⁹⁹

Posita hac sola cognitione, non potest exinde sequi, quod nos eliciendo actum fidei, non crederemus proprie Deo ut est determinate *auctor ordinis supernaturalis*, sicut ex eo quod in hypothetico statu naturae purae cognitio Dei ut *auctoris ordinis supernaturalis* esset ho-

⁹⁷ *ibid.*, III, 17-19 (t. XI, p. 194-196).

⁹⁸ tr. XVIII, *De spe*, I, 66 (t. XI, p. 482).

⁹⁹ Cfr. *ibid.*, I, 153, 163, 172, 180 (t. XI, p. 71, 76, 79, 83). Immo idem apparet ex tr. XIV, *De gratia*, III, 38 (t. IX, p. 353) in quo GARRIGOU-LAGRANGE, *De revelatione*, t. I, p. 454-495, vidit assertam a Salmanticensibus (III, 40) cognitionem *motivi*, ut est praecise supernaturale. Illo tamen in loco Salmanticenses non de *cognoscendo motivo* fidei, sed de *innitendo* eodem *motivo* loquuntur, quae duo apud ipsos aliquid omnino diversum significant, ut apparet ex responsione ad quartum in eadem disp. n. 44 (vol. IX, p. 357): « licet aliquis — dicunt — certo teneret Deum ut auctorem et finem supernaturalem aliquid revelasse, et conaretur Dei testimonio *inniti*, nihilominus non posset sub illo *motivo* credere, nisi elevaretur per fidem infusam, sed *inniteretur* exercite testimonio Dei ut *motivo naturali in esse motivi*, hoc est, quatenus exercite fundat naturalem dumtaxat certitudinem in assensu. Quod potest exemplo declarari: nam licet aliquis *per fidem cognosceret motivum proprium amoris charitatis*, immo licet hoc *motivum intueretur per visionem beatificam*; si tamen nullam virtutem, aut elevationem ex parte voluntatis haberet, *non posset amare Deum sub illo motivo proprio charitatis infusae*, sed diligeret sub alio *motivo naturali*, et inferiori, nempe quatenus Dei bonitas fundat communicationem in bonis naturalibus cum suis creaturis per modum primi principii, et ultimi finis.

mini impossibilis, non sequitur, quod homo tunc peccando non offenderet Deum ut est determinate *auctor ordinis supernaturalis*. Ratio enim *auctoris ordinis supernaturalis* convenit Deo non prout splendet in creaturis, sed prout est in se; ergo quidquid respicit Deum prout est in se, respicit ipsum non tantum prout est *auctor ordinis naturalis*, sed etiam prout est *auctor ordinis supernaturalis*.¹⁰⁰ Ideoque, quia peccatum grave commissum in statu *naturae purae* offendisset Deum prout est in seipso, propterea offendisset ipsum ut est determinate *auctor ordinis supernaturalis*. Similiter in nostro casu, si ille qui praecognita Dei infallibilitate atque eiusdem revelatione, vellet intellectum suum atque voluntatem plene submittere Deo, credendo id quod ipse revelavit, haec eius submittio respiceret Deum prout est in seipso, et ideo eliciendo actum fidei crederet Deo ut est determinate *auctor ordinis supernaturalis*, eo vel magis quod ex modo sese habendi *motivi* ad obiectum «*terminativum*» clare deducitur *motivum* fidei quoad propriam entitatem attingi in ipso actu fidei quamvis solummodo ut obiectum «*quo*».

De cetero, quamvis quaestio a nobis proposita, plenum habeat sensum in ordine ad existentiam revelationis divinae, cum revera Deus possit revelare sive ut est *auctor ordinis naturalis*, sive ut est *auctor ordinis supernaturalis*, in ordine tamen ad Dei infallibilitatem non habet sensum. Cum enim distinctio illa, non conveniat Deo in ordine ad se, sed in ordine ad creaturas racionales,¹⁰¹ distinctio haec non potest convenire illis attributis divinis, quae entitativa sunt, ordinemque ad ipsum Deum dicunt. Sic absonum omnino esset velle disserere de infinitate vel aeternitate Dei ut pertinentibus ad Deum tamquam *auctorem ordinis naturalis*, non vero ut convenientibus Deo *auctori ordinis supernaturalis*. Nunc autem, infallibilitas, in *actu secundo* considerata, quo in casu stat pro ipsa revelatione, cum ex natura sua dicat relationem non ad ipsum Deum, sed ad audientem, hanc distinctionem admittere potest. Econtra, idem attributum in *actu primo* consideratum, cum in se non significet nisi virtutem in voluntate divina residentem, nullumque ordinem ad creaturas dicat, sed totum ad ipsum Deum ordinetur, distinctionem illam nequaquam admittere potest. Porro cum agimus in nostra quaestione de cognoscenda infallibilitate Dei, sumimus ipsam in *actu primo*, consequenter quaerere an ipsamet debeat cognosci prout pertinet ad Deum ut *auctorem ordinis naturalis*, an potius ut convenit Deo ut *auctori ordinis supernaturalis* omnino absonum esse videtur.¹⁰²

4) *Quod attinet tandem certitudinem actus fidei*. Examinandum est imprimis quaenam sit — iuxta Salmanticenses — relatio cognitionis *motivi* ad ipsum formalem assensum fidei. Utrum nimirum sit relatio

¹⁰⁰ Cfr. SALM. tr. XV, *De justificatione*, II, 257 sqs. (t. X, p. 480 sqs).

¹⁰¹ Cfr. SALM. tr. XIV, *De gratia*, III, 43 (t. IX, p. 356).

¹⁰² Haec non satis videntur considerata fuisse a GARRIGOU-LAGRANGE, cum in *De revelatione*, t. I, p. 458, constanter de attributo veracitatis, in *actu primo* considerato, ut ad Deum *auctorem gratiae et gloriae* pertinente loquatur.

causae an tantummodo relatio *conditionis sine qua non*. Exinde enim facile quis concludere poterit et ad modum quo *motivum* fidei moveat, et ad modum quo auctoritas Dei revelantis ut est *motivum* fidei cognosci debeat, et tandem ad modum quo certitudo fidei in mente credentis generetur.

Porro ex omnibus elementis doctrinae Salmanticensium concludere debemus quod iuxta ipsos cognitio *motivi* fidei non influit in formalem assensum fidei directe et immediate tamquam *causa*, sed solum tamquam *conditio sine qua non*. In fide videlicet intellectus noster non transit logico processu a cognitione infallibilitatis Dei eiusque revelationis ad assentiendum veritati revelatae, sed supposita illa cognitione, adhaeret huic sub speciali motione voluntatis motae a gratia actuali. «Supernaturalitatem et firmam adhaesionem actus fidei — dicunt Salmanticenses — non esse regulandas legibus syllogisticis, iuxta quas conclusio sequitur partem debiliorem; cum praedictus actus nec sit conclusio alicuius syllogismi, neque dependeat ab actibus constituentibus discursum speculativum (ab actibus scilicet quibus cognoscuntur infallibilitas ex existentia divini testimonii) tamquam a regula suae veritatis aut certitudinis, huiusmodi enim regula est primae veritatis testimonium, sed solum sicut a conditione, sine qua praedicta regula nequit sibi per practicum iudicium applicari». ¹⁰³

Similiter agentes contra Suarez, qui in virtute principii: «*assensus praestitus Auctoritati Dei revelantis habet rationem causae, non merae conditionis praeviae, quatenus refertur ad assensum praestandum obiecto revelato*», statuit necessitatem cognitionis *supernaturalis motivi* fidei, notant: «id quod requiritur solum *ut conditio* ad esse alterius, non est unde debeat esse eiusdem perfectionis cum illo». ¹⁰⁴ Siquidem «assensus fidei non fit per discursum, nec est conclusio alicuius syllogismi, sed supposita notitia divinae revelationis, consequitur immediate ad motum piae voluntatis, ¹⁰⁵ ideoque assensus fidei — concludunt: «secundum certitudinem, quam mutuatur a divina revelatione, a praemissis (i. e. a cognitione infallibilitatis ex existentiae testimonii divini) non dependet, sed potest illas, tam in veritate, quam in certitudine, superare». ¹⁰⁶

Propterea Salmanticenses statuunt principium, quod est *vere systematicum* in tota hac quaestione: «*Firma adhaesio, quae est in actu fidei catholicae, non provenit immediate ab aliquo actu intellectus, sed a voluntate; haec enim est, quae ex affectu boni firmat intellectum circa non apparentia, qualia sunt obiecta credibilia*» ¹⁰⁷; quod igitur influit in assensum fidei tamquam *causa efficiens* non est cognitio existentiae et infallibilitatis revelationis divinae, sed est motio voluntatis.

¹⁰³ tr. XVII, *De fide*, I, 183 (t. XI, p. 84).

¹⁰⁴ *ibid.*, I, 181 (t. XI, p. 83).

¹⁰⁵ *ibid.*, III, 121 (t. XI, p. 163).

¹⁰⁶ *ibid.*

¹⁰⁷ *ibid.*, I, 183 (t. XI, p. 84).

Neque haec doctrina Salmanticensium pura suppositio censenda est, habet enim sua fundamenta satis solida, tum in modo quo *motivum* fidei obiectum revelatum manifestat, tum in modo loquendi ipsius Divi Thomae.

Quod attinet modum quo motivum fidei obiectum revelatum intellectui manifestat. Cum intellectus omnia sub ratione veri attingat, possumus dicere quod *motivum* fidei veritatem obiecti revelati intellectui manifestat; sed tunc «*veritas*» in sensu transcendentali et universali sumenda est, prout videlicet quamlibet rationem veri manifestatam significat.¹⁰⁸

Duplex est enim modus quo *motivum*, generice sumptum, obiectum manifestat. Primo, quatenus ipsam *intrinsicam veritatem obiecti* intellectui pandit, seu ipsam connexionem subiectum inter et praedicatum alicuius veritatis complexae evidentem facit. Secundo, *quatenus aliquam aliam rationem extrinsecam obiecto* ostendit.

Primo modo, obiectum manifestatur a *motivo intrinseco*, quod in evidentia immediata vel mediata consistit; altero vero, obiectum manifestatur a *motivo extrinseco*, quod in auctoritate loquentis consistit; ratio tunc manifestata, est proprie *credibilitas* obiecti.

Auctoritas igitur Dei revelantis, cum sit *motivum extrinsecum* obiecto revelato, non eius veritatem in seipsa, sed ipsius tantum *credibilitatem* intellectui manifestat¹⁰⁹; *credibilitas* porro non concernit necessario existentiam aut veritatem obiecti, sed illorum dumtaxat motivorum concursum per quem obiectum verisimile et fide dignum proponitur.¹¹⁰

Quare minus recte quis actum fidei per sequens ratiocinium explicaret: «*Quidquid prima veritas revelavit verum est; atqui prima veritas revelavit Verbum assumpsisse carnem; ergo Verbum assumpsisse carnem verum est*». In hoc quammaxime est insistendum. Multi enim sunt theologi, qui supponentes, uti videtur, hanc praecise actus fidei explicationem, negant vel saltem dubitant de compossibilitate actus fidei cum evidentia in attestante.¹¹¹ Contra ipsos, Salmanticenses firmiter tenent testimonium Dei, cum sit *motivum extrinsecum*, nullo modo intellectui veritatem intrinsicam obiecti revelati manifestare posse.

Actus fidei explicandus est potius hoc alio syllogismo: «*quidquid prima veritas revelat, est evidenter credibile per fidem divinam; atqui prima veritas revelavit Deum esse incarnatum; ergo Deum esse incarnatum est evidenter credibile per fidem divinam*». ¹¹² Neque potest quis dicere, quod supposita credibilitate obiecti revelati, possimus concludere exinde ad illius veritatem, hoc modo: «*Sed quidquid est evidenter credibile per fidem divinam, est evidenter verum, ergo est evidenter verum Deum esse incarnatum*», «*Quamvis enim quis ita subsumere possit — dicunt Salmanticenses — falsitatem tamen incur-*

¹⁰⁸ Cfr. SALM. tr. XIV, *De gratia*, III, 66 (t. IX, p. 379).

¹⁰⁹ Cfr. SALM. tr. XVII, *De fide*, I, 56, 63 (t. XI, p. 26, 29).

¹¹⁰ Cfr. SALM. *ibid.* III, 3 (t. XI, p. 187).

¹¹¹ Cfr. SALM. *ibid.* III, 1-31 (t. XI, p. 185-204).

¹¹² *ibid.* I, 205-206 (t. XI, p. 94-95).

reret; minor enim subsumpta falsa est; ex eo enim quod aliquid est evidenter credibile per fidem divinam, non infertur, quod sit evidenter verum in seipso, cum semper maneat in seipso obscurum et non visum; sed solum quod evidens sit nos operari prudenter, judicantes illud esse verum, et dignum fide...¹¹³ solet enim evidens credibilitas separari a veritate obiecti, ut patet in fide humana ».¹¹⁴

Hinc patet quod cognitio *motivi* fidei non potest ita se habere ad formalem assensum fidei sicut cognitio praemissarum ad assensum conclusioni.

Haec praecise videtur esse et mens Doctoris Angelici. Utique, S. Thomas statuit: «*ipsum autem testimonium veritatis primae se habet in fide ut principium in scientiis demonstrativis* »,¹¹⁵ per hoc tamen S. Thomas non nisi analogiam instituit, analoga vero, ut constat, habent rationem *simpliciter diversam*, et tantummodo *secundum quid eandem*. Medium enim demonstrationis est *motivum intrinsecum*, testimonium autem Dei est *motivum extrinsecum*, aliter vero et aliter — ut diximus — alterutrum *motivum* veritatem obiecti manifestat, diversitas porro rationis manifestatae, diversitatem motionis intellectus necessario arguit.

Et de facto, ubicumque Doctor Angelicus tangit modum quo quis ad credendum fide infusa movetur, constanter hoc idem vel innuit vel etiam explicite docet. Sic v. gr. agens de differentia inter fidem et alios assensus, clare ostendit quomodo fides infusa ad assensum movet: «*alio modo intellectus assentit alicui, non quia sufficienter movetur ab obiecto proprio, sed per quandam electionem voluntarie declinans in unam partem magis quam in aliam* »...¹¹⁵ Quod clarius apparet ex comparatione quam instituit inter scientem et credentem: «*sciens autem habet et cognitionem et assensum, sed cogitationem causantem assensum... et sic non habet assensum et cogitationem quasi ex aequo, sed cogitatio inducit ad assensum et assensum quietat, sed in fide est assensus et cogitatio quasi ex aequo. Non enim assensus ex cognitione causatur, sed ex voluntate* ».¹¹⁷

Ad mentem Angelici circa modum quo fides ad assensum movet clarius percipiendam, consideremus duplicem modum judicandi, quem ipse S. Doctor refert: «*Contingit enim — dicit — aliquem judicare uno modo per modum inclinationis, sicut qui habet habitum virtutis, recte judicat de his, quae sunt secundum virtutem agenda, in quantum ad illa inclinatur... alio modo per modum cognitionis, sicut aliquis instructus in scientia morali posset judicare de actibus, etiamsi virtutem non haberet, deducendo scilicet conclusiones ex principiis praehabitis* ».¹¹⁸

Quinam igitur ex his duobus modis sit proprius fidei infusae? S. Tho-

¹¹³ Cfr. SALM. *ibid.*

¹¹⁴ Cfr. SALM. *ibid.*, III, 3 (t. XI, p. 187).

¹¹⁵ *De veritate*, q. XIV, a. 8 ad 16.

¹¹⁶ *Summa theol.* II-II, I, 4.

¹¹⁷ *De Veritate*, q. XIV, a. 1.

¹¹⁸ *Summa theol.* I, I, 6, ad 3.

mas, ut ex alibi dictis apparet, stat pro illo priore modo; fides scilicet — iuxta Angelicum — non movet *per modum cognitionis*, sed *per modum inclinationis*: «sicut homo — ait ipse — per naturale lumen intellectus assentit principiis; ita homo virtuosus per habitum virtutis habet rectum iudicium de his quae conveniunt illi virtuti; et hoc modo etiam per lumen fidei divinitus infusum homini homo assentit his, quae sunt fidei.¹¹⁹

Conformiter ad haec S. Thomas docet, nos «movemur ad credendum dictis (Dei) in quantum nobis repromittitur, si crediderimus, praemium vitae aeternae; et hoc proemio movetur *voluntas* ad assentiendum his quae dicuntur, *quamvis intellectus non moveatur per aliquid intellectum*». ¹²⁰

Causa igitur efficiens movens intellectum ad assentiendum veritati revelatae — iuxta Angelicum etiam — non est aliqua cognitio intellectus, sed est motio voluntatis, seu, ut dicit ipsemet Divus Thomas, «*quidam appetitus boni repromissi*», ¹²¹ qui locum habet etiam in fide *mortua* seu *informi* ¹²²; inde dicitur voluntatem habere in fide principalitatem. ¹²³

Concludere ergo possumus ipsissimis verbis S. Thomae: «*Hic... habitus (fidei) non movet per viam intellectus (per modum cognitionis) sed magis per viam voluntatis (per modum inclinationis)*». ¹²⁴

Hac doctrina supposita, sequitur, per modum corollarii, quod quaestio circa modum quo revelatio, ut est *motivum formale* fidei, cognosci debeat, non videtur esse tanti momenti, sicut aliqui censent. ¹²⁵ Quia enim «*firma adhaesio quae est in actu fidei catholicae, non provenit immediate ab aliquo actu intellectus (attingente nempe motivum) sed a voluntate*», ¹²⁶ ideoque, quia cognitio *motivi* non influit in assensum fidei tamquam *causa efficiens* sed sese habet ut *mera conditio*, parum refert cuiusnam ordinis sit, naturalis nempe an supernaturalis. Siquidem — dicunt Salmanticenses — ut voluntas firmet prudenter et immobiliter in intellectu assensum supernaturalem alicuius veritatis obscurae, sufficit quod praecedat iudicium speculativum naturale vel ¹²⁷ supernaturale, quo dignoscatur Deum esse summe veracem, illamque revelasse ¹²⁸; quomodocumque enim cognoscatur, nullum adest periculum, ut certitudo fidei in eo per quod *motivum* fidei cognoscimus fundetur.

Propterea Salmanticenses ubi explicite quaerunt: «unde constet

¹¹⁹ *ibid.*, II-II, II, 3, ad 2.

¹²⁰ *De Veritate*, q. XIV, a. I, c.

¹²¹ *ibid.*, a. 2, ad 10.

¹²² *Summa theol* II-II, V, 2, ad 2.

¹²³ *Summa c. Gent.* III, 40.

¹²⁴ *In librum Boetii de Trinitate*, III, I, ad 1.

¹²⁵ Cfr. GARRIGOU-LAGRANGE, *De revelatione*, t. I, p. 458-514.

¹²⁶ Cfr. SALM. tr. XVII, *De fide*, I, 183 (t. XI, p. 84).

¹²⁷ In editione Parisiensi loco «*vel*» erronee ponitur «*et*»; cfr. editionem Lugdunensem 1678. t. VII, p. 60.

¹²⁸ Cfr. SALM. tr. XVII, *De fide*, I, 183 (t. XI, p. 84).

firmiter catholico primam veritatem revelasse articulos, quos credit adeo firmiter, ut paratus sit pro illorum veritate mortem sustinere »¹²⁹ admittunt quidem hoc posse ab aliquo teneri per fidem infusam,¹³⁰ sed statim addunt hanc solutionem non solvere quaestionem propositam quia : « poterit negari illius suppositum ab aliquo fidei, si is non per fidem, sed alio lumine teneat primam veritatem non posse testificari falsa, vel ab illa revelatam esse doctrinam religionis ».¹³¹ Unde per longum et latum ostendunt existentiam divinae revelationis apostolis quidem et prophetis per lumen propheticum evidenter constitisse,¹³² reliquis vero, qui in ecclesia existunt, per naturalem evidentiam credibilitatis divinae praedicti obiecti.¹³³

Et quod attinet cognitionem infallibilitatis divinae, admittunt pariter illam tripliciter posse cognosci, per fidem nempe, per evidentiam supernaturalem et per evidentiam naturalem, concludunt tamen quod « *magis commune et connaturalius est* » ut cognoscatur per evidentiam naturalem.¹³⁴

Ex hac doctrina sequitur ulterius, etiam per modum corollarii, qualiter intellectus in fide certitudinem firmam super omnia de ipsis revelatis assequatur.

Modus hic, certe, non est idem ac in scientia, in qua certitudo adhaesionis conclusioni logice descendit a certitudine adhaesionis principii. Modus quo in fide certitudo in intellectu generatur paucis verbis describitur a Salmanticensibus : « Assensus fidei — dicunt — in propria specie, quam a principii... derivat, certior est omni assensu naturali, et importat firmiorem adhaesionem ad verum... ; sed implicat quod causa formalis communicetur subiecto, et non praestet ei suum effectum formalem ; ergo implicat, quod assensus fidei recipiatur in nostro intellectu, et quod non reddat illum magis certum et firmiter vero inhaerentem ».¹³⁵

Ad hoc intelligendum, non oportet considerare intellectum solitarie sumptum, ac si ipse in adipiscenda certitudine fidei sibi solus relictus esset ; sed oportet illum considerare ut est elevatus per lumen fidei infusum. Siquidem actus non elicitur a solo intellectu, nec imponitur ipsi ab extrinseco a quodam quasi impulsu, sed procedit ab intellectu simul et ab habitu infuso, tamquam ab unica causa ; quod igitur alter non potest hoc suppletur ab alio, inviolabiliter servata utriusque natura.

Haec dualitas principii elicitive, confluens in quandam unitatem, numquam est obliviscenda, non tantum pro explicando modo quo intellectus de revelatis certificatur, sed etiam pro adaequata explicatione cuiuscumque quaestionis concernentis actum fidei.

¹²⁹ *ibid.*, I, 154 (t. XI, p. 72).

¹³⁰ *ibid.*, I, 163 (t. XI, p. 76).

¹³¹ *ibid.*, I, 167 (t. XI, p. 78).

¹³² *ibid.*, I, 169-171 (t. XI, p. 78-79).

¹³³ *ibid.*, I, 172-179 (t. XI, p. 79-83).

¹³⁴ *ibid.*, I, 180 (t. XI, p. 83).

¹³⁵ *ibid.*, II, 113 (t. XI, 157).

Diximus enim supra, quod intellectus secundum suam nuditatem naturalem consideratus, neque quid minimum de « *posse activo* », in ordine ad eliciendum actum fidei possidet, sed totum hoc « *posse* », ideoque « *posse simpliciter* » a lumine supernaturali infuso provenit. Haec tamen virtus infusa quamvis dicat totam quantitatem efficaciae in ordine ad actum fidei, hanc tamen efficaciam non nisi ut communicatam intellectui creato viatoris exercere potest.

Alia vero ex parte, cum « *dona gratiarum hoc modo naturae adduntur, quod eam non tollunt, sed magis perficiunt* », ¹³⁶ habitus fidei infusus communicando intellectui suam efficaciam, naturam ipsius propriam inviolabilem servare debet.

Porro natura intellectus haec est, ut non possit prudenter alicui ita assentire, ut iudicet sine ulla formidine, illud non posse aliter se habere, nisi videat illius veritatem, vel in se, vel saltem in aliquo medio extrinseco et infallibili, in quo appareat eius credibilitas. Cum vero in fide intellectus non potest assequi illud primum, utpote pugnans cum ipsa fide, necesse est ut habeat hoc alterum; ad quod pervenire potest suis propriis viribus cognoscendo Dei infallibilitatem et existentiam divinae revelationis.

Cum igitur intellectus semel sit assecutus credibilitatem obiecti revelati, naturae ipsius omnino satisfit; ita, absque ullo sacrificio propriae propensionis, influxum luminis divinitus infusi subire potest; ideoque, hac evidentia credibilitatis comparata, intellectus non occupatur amplius neque de infallibilitate Dei, neque de existentia divinae revelationis, sed unice et exclusive de bonitate et convenientia sese Deo plene submittendi praebendo assensum veritati revelatae cuius videt credibilitatem; et tunc gratia actuali excitatus atque adiutus hanc bonitatem et convenientiam perspicere potest, eamque tunc voluntati proponit, quae, pro sua vice, gratia Dei excitata ad res credendas afficitur ¹³⁷ elicitque *pium credulitatis affectum*, in cuius praesentia tunc tandem habitus fidei infusus suam propriam efficaciam explet, intellectum inclinando ad actum fidei eliciendum.

Iamvero idem est elicere actum fidei infusae, ac adhaerere obiecto revelato firmiter super omnia; ergo sicut lumen fidei infusum facit intellectum elicere actum fidei, sic pariter facit eum adhaerere obiecto revelato cum omni certitudine.

¹³⁶ Cfr. S. THOMAE, *In librum Boetii de Trinitate*, II, 3.

¹³⁷ Hic praecise habet locum illa « *vocatio divina* », qua Deus hominem ad suam conversionem excitat. Deus, scilicet, communicat homini aliquas subitaneas illustrationes gratiae actualis, quibus ipse ad suam salutem vocatur. In virtute huius gratiae, intellectus, sic specialiter a Deo applicatus (Cfr. SALM. tr. XIV, *De gratia*, III, 81), cognoscit bonum quod est in actu fidei infusae non quidem in actu signato ex *motivo* divinae revelationis, sed solum practice cognitione implicita et imperfecta (Cfr. SALM. tr. XIV, *De gratia*, VI, 89); cognoscit, scilicet, actum fidei infusae conducere ad praemium vitae aeternae. Haec cognitio, in relatione ad illam « *vocationem divinam* », constituit iam initium « *auditionis vocis Patris* », quam aliqui perperam confundunt cum supernaturali cognitione supernaturalis *motivi* fidei. (Cfr. GARRIGOU-LAGRANGE, *De revelatione* t. I, p. 472-473).

Idem ergo est intellectum subire influxum luminis infusi in ordine ad eliciendum actum fidei, ac assequi certitudinem propriam ipsius actus fidei. « Implicat, siquidem, quod assensus fidei recipiatur in nostro intellectu, et quod non reddat illum magis certum et firmiter vero inhaerentem ».

Habitus fidei, utique, inclinatur ad credendum, eumque certificat de ipsis creditis, nihilominus, cum ipsam veritatem obiecti crediti non manifestet, non omnino intellectum quietat. Ideoque possunt adhuc exoriri in intellectu quaedam anxietates, agitationes et dubia, lumen tamen infusum, quamvis haec perfecte non extinguat, inclinatur tamen voluntatem, ut semper imperet intellectui assensum firmum et praedictos anxietatis motus omnino excludat. Hinc apparet absoluta necessitas gratiae Dei, et consequenter filialis, atque constantis orationis; « Domine, adauge nobis fidem ».¹³⁸

Romae 1946

FR. TERESIUS A S. AGNETE, O.C.D.

¹³⁸ *I.c.* XVII, 5.